SHOUT
SHARE
IT

RETURN TO

LIBRARY OF MARINE BIOLOGICAL LABORATORY

WOODS HOLE, MASS.

LOANED BY AMERICAN MUSEUM OF NATURAL HISTORY

BIHANG TILL K. SVENSKA VET.-AKAD. HANDLINGAR. Band 25. Afd. IV. N:o 1.

ARANEAE CAMERUNENSES

(AFRICAE OCCIDENTALIS)

QUAS ANNO 1891

COLLEGERUNT CEL. DR. Y. SJÖSTEDT ALIIQUE

ET ENUMERAVIT

T. THORELL.

COMMUNICATUM D. 8 FEBRUARII 1899.

STOCKHOLM
KUNGL. BOKTRYCKERIET. P. A. NORSTEDT & SÖNER
1899

AMERICAN MUSEUM
CENTRAL PARK
NEW YORK
OF NATURAL HISTORY

Araneæ Camerunenses.

Clar. D:r Yngve Sjöstedt, qui plus annum in agro Camerunensi, in horreo mercium Dom. Knutson, Valdau et Heilborn peregit, insectis aliisque animalibus eorumque vitæ et moribus summa sollertia et doctrina studens, messem abundantissimam præsertim *insectorum*, domum secum duxit et in museo, quod Holmiæ est, deposuit. Araneas, quas in eadem terra collegit, Ill. Professor Chr. Aurivillius, collectionibus illis Entomologicis præpositus, mihi commisit, ut eas describerem; quod mandatum, quantum in me erat, paginis insequentibus perfeci. Species diversæ, quas ex Camerun accepi, 129 sunt, quarum 102 novæ videntur et modo 27 aliis locis adeo dilucide descriptæ fuerunt, ut eas ex descriptionibus agnoscere potuerim. Non omnes species certo determinare potui: nonnullæ enim aut juniores, aut vitiosæ sunt ideoque omittendæ. Ad species a Cel. Sjöstedt collectas paucas addidi, quæ a Dominis Knutson et Valdau in Camerun repertæ sunt.

De locis Africanis, ubi D:r Sjöstedt commoratus est, vid. præsertim ejus: Från Kamerun, Några drag ur insektlifvet omkring Bonge vid tiden mot torrperiodens inträdande, in Entomologisk Tidskrift, 1893, p. 97—119; — Chr. Aurivillius: Beiträge zur Kentniss der Insektenfauna von Kamerun: 2., ibidem, p. 257 et seq.

Ordo **Araneæ.**

Subordo **Parallelodontes.**

Tribus **Territelariæ.**

Fam. **Theraphosidæ.**

Subfam. **Ctenizinæ.**

Gen. **Acantodon**[1] GUÉRIN.

1. **A. curvipes** n., cephalothorace in medio crasso et alto, piceo, fovea centrali profunda et fortissime procurva, oculis duobus anticis (lateralibus anticis) rotundis spatio diametro sua paulo minore separatis, mediis anticis rotundis quoque lateralibus anticis pæne duplo majoribus, spatio dimidiam diametrum suam saltem æquante separatis; oculis 4 posticis in lineam procurvam ordinatis, mediis posticis rotundatis lateralibus posticis oblongis minoribus (et lateralibus anticis angustioribus sed non brevioribus) et ab iis spatiis evidenter minoribus quam quo illi inter se distant remotis; rastello mandibularum e dentibus brevibus formato et intus in apicem producto; labio paullo longiore quam latiore, ad apicem obtusum spinulis circa 3 crassis armato, maxillis intus spinulis sat multis ejusmodi intus a basi ad apicem obsitis; pedibus piceis, pedibus anterioribus aculeis fortibus sat densis utrinque in tibiis, metatarsis et tarsis armatis, patella, tibia, metatarso et tarso 3:ii paris etiam supra eodem modo spinosis, (palpis in lateribus partis tibialis et tarsalis etiam densius spinosis), tarsis et metatarsis etiam 4:i paris aculeis nonnullis fortibus subter armatis; abdomine

[1] Melius *Acantodon* quam *Acanthodon*: ἄκανθα, spina; ὀδούς, dens.

ovato, nigricanti-piceo, mamillis exterioribus crassis, subconicis, vix duplo longioribus quam crassioribus basi. — ♀ ad. Long. circa 35 millim.

Femina adulta singula a Cel. SJÖSTEDT in Camerun inventa est. — Forsitan non nova, sed jamdudum descripta est hæc aranea?

Gen. **Cyphonisia,** SIM. (?) 1888.

2. **C. (?) soleata** n., cephalothorace alto et convexo, nigro, sulco centrali transverso pæne recto vel levissime recurvo, aream oculorum latitudine paullo superante, hac area circa 1/4 latiore quam longiore, antice angustiore quam postice; oculis anticis in seriem fortissime procurvam vel in trapezium antice multo latius quam postice dispositis, lateralibus anticis mediis anticis paullo minoribus, saltem angustioribus, oblongis, spatio longitudine sua evidenter majore separatis, mediis anticis magnis, rotundis, spatio dimidiam diametrum suam vix æquante separatis; serie oculorum posticorum multo minorum parum anteriora versus curvata; mandibulis apice æqualiter rotundatis, rastello e dentibus angustis, quasi setis, formato; labio apice, ut maxillis basi, intus, dentibus modo paucissimis (uno alterove) præditis, pedibus nigris et pallido-sub-lineatis, basi cum sterno piceis, tarsis pallidioribus, scopulis fuligineis: pedibus 1:i et 2:i parium scopulis densissimis, ipsis articulis latioribus, præditis, his scopulis integris et ad basin metatarsorum pertinentibus, scopulis metatarsorum 3:ii et 4:i parium modo apicem internodii occupantibus et plus minus evidenter sectis, metatarsis et tarsis anterioribus aculeis carentibus, metatarsis 3:tii et 4:i parium aculeatis; unguiculis superioribus tarsorum subter in medio circa 3 dentibus armatis; abdomine nigerrimo, mamillis brevissimis, nigricantibus. — ♀ ad. Long. (cum mandib.) circa 18 millim.

Feminam adultam singulam in Camerun cepit SJÖSTEDT. — Etsi dentes rastelli in hac specie »minutissimi» dici non possunt,[1] huic generi adscribi posse videtur species nostra.

[1] Conf. SIMON, H. N. d. Araignées, 2:de Éd., I, p. 120.

Long. cephaloth. ejus 8 millim. est, lat. ej. 6½, lat. front. 3½ millim. Ped. I 16, II pæne 16, III 15½, IV 21 millim. longi: abd. 9 millim. longum, 5½ millim. latum.

Gen. **Bolostromus** (Auss.) 1875.

3. **B. fodiens,** n., cephalothorace fere dimidio longiore quam latiore, piceo, parte cephalica longa, alta et convexa, fronte latissima, sulco centrali sat fortiter procurvo, aream oculorum latitudine pæne æquante; oculis anticis in lineam rectam dispositis et spatiis sub-æqualibus disjunctis, lateralibus anticis oblongis mediis anticis rotundis paullo minoribus vel saltem angustioribus, mediis posticis parvis a lateralibus posticis spatio modo minuto separatis; mandibulis fortissimis, in apice truncato rastello inæquali e dentibus fortibus formato armatis, labio non longiore quam latiore, denticulis carente, maxillis quoque lævibus, pedibus præsertim 3:ii paris sat dense aculeatis, tarsis aculeis debilioribus armatis, tarsis 1:i—3:ii parium scopulatis; unguiculis superioribus saltem pedum anteriorum binis ordinibus dentium pectinatis; abdomine nigro, mamillis exterioribus abdomine saltem triplo brevioribus, testaceis, art. 3:io apicem versus angustato, sub-conico, obtuso. — ♀ *ad.* Long. (cum mandib.) c:a 14 millim.; long. cephaloth. 6, lat. ej. paullo plus 4½ millim.

Femina singula adulta ad N'dian in Camerun a Sjöstedt capta est. — Cel. Simon dicit[1] oculos anticos in gen. *Bolostromo* in lineam »leviter sed evidenter procurvam» dispositos esse, quod in nostram speciem non bene cadit.

Subfam. **Theraphosinæ.**

Gen. **Lycotharses,**[2] n.

A reliquis generibus hujus subfamiliæ, vel saltem a *Pelinobio*, Karsch, *Harpactotheria*, Sim., aliisque *Solenocosmieis*, Sim.[3] hoc novum genus *scopula lateris exterioris partis femoralis palporum* et *impressionibus sterni* distingui posse videtur.

[1] H. N. d. Araignés, 2:de Ed., I, p. 120.
[2] *Λυκοθαρσής*, a *λύκος*, lupus; *θάρσος*, audacia.
[3] Id., ibid., p. 133 et 147.

4. **L. Sjöstedtii** n., cephalothorace crassiore, parte cephalica satis convexa, obscure rufo-fusco, pube brevi rufo-fusca et ferruginea tecto, sulco centrali transverso, leviter procurvo, non profundo, latitudinem areæ oculorum circa duplo latioris quam longioris latitudine æquante; sterno impressionibus parvis 4 posterius notato, parte femorali palporum in latere exteriore fascia longa sat lata scopularum munita, pedibus sat longis, 4:i paris reliquis longioribus, inermibus, modo in apice metatarsorum hujus paris aculeis paucis munitis, apicem obtusum (non recte truncatum) versus paullo angustatis, metatarso 4:i paris metatarsum 1:i paris longitudine superante, sed tibia cum patella 4:i paris longitudinem tibiæ cum patella 1:i paris modo æquante, scopulis densis subter in tarsis et metatarsis, quæ ultra medium (non usque ad ipsam basin) metatarsorum pertinent, et ipsis articulis latiores non sunt. — ♀ *ad.* Long. (cum mandib.) circa 40 millim.

Femina. — Tuber *oculorum* fere duplo latius quam longius est, modice elevatum; series oculorum antica sat leviter est procurva, hi oculi sat parvi, spatiis oculi medii diametrum pæne æquantibus separati; medii antici rotundi margine antico ad medium lateralium pertinent, laterales antici, oblongi et postice acuminati sunt, longitudine diametrum anticorum saltem æquantes et iis multo angustiores. Centra seriei posticorum, quæ pæne aque longa est atque series antica, lineam leviter recurvam formant, his oculis paullo minoribus quam sunt oculi seriei anticæ; oculi medii postici fere duplo longius a lateralibus anticis quam a mediis anticis remoti sunt. Spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei eorum diametro non parum est majus. *Sternum* paullo longius quam latius, fere 5-gonum, anteriora versus angustatum, antice truncatum, postice latum et breviter acuminatum; impressionibus 4 parvis notatum est, quarum duæ paullo longius inter se quam a marginibus sterni lateralibus sunt remotæ, ovatæ, oblique positæ, et pæne duplo longius a margine sterni antico quam ab apice ejus postico locatæ, duæ reliquæ non parum ante eas pæne transversæ et angustissimæ sunt, ad ipsos margines sterni laterales et parum pone medium ejus sitæ. *Maxillarum* angulus anterior-interior anteriora versus productus, acuminatus. *Pedes* sat longi, pæne æquali crassitie, scopulis densis integris pæne ad basin metatarsorum pertinentibus prædíti, et pube densa rufescenti-cinerea præterea vestiti, hac pube in femoribus magis cinerea et colorem pallide æneum vel virescenti-cinereum sentienti. *Abdomen* circa duplo longius quam latius, forma solita, pube appressa rufo-fusca vestitum et pilis longis rufis sparsum. *Mamillæ*, quæ forma sunt ordinaria et subter scopulatæ videntur, art. 3:um reliquis paullo longiorem et angustiorem habent.

Lg. cephaloth. pæne 20, lat. ej. 14, lat. front. pæne 10; spatium inter foveam centr. et marg. front. 11, inter hanc foveam et marg. cephaloth. post. circa $4^1/2$; lg. sterni fere 7, lat. ej. $6^1/2$. Long. palp. 30; lg. ped. I $50^1/2$, (tib. cum pat. 18, metat. $7^1/2$), ped. II 41, III 39, IV $55^1/2$ (tib. cum pat. 18, metat. 12) millim.; lg. abd. 17, lat. ej. saltem 10; lg. mamill. exter. 8 millim.

Feminam singulum adultam in Camerun invenit SJÖSTEDT.

Gen. **Hyarachne,**[1] n.

Cephalothorax humilis, parte thoracica leviter convexa, fovea centrali parva, profunda, breviter transversa.

Area oculorum transversa, circa duplo latior est quam longior, et fovea centrali cephalothoracis non parum latior. Oculi antici in seriem paullo procurvam dispositi sunt; series, quam formant centra posticorum, leviter est recurva. Oculi medii antici rotundi lateralibus anticis oblongis paullo majores et multo latiores sunt, margine antico paullo ante centrum lateralium pertinente; spatio pæne dimidiam diametrum suam inter se, a lateralibus vero spatiis etiam non parum minoribus, remoti sunt. Oculi medii postici oblongi lateralibus posticis iis quoque oblongis non parum minores sunt et spatio non parum minore a mediis anticis quam a lateralibus anticis remoti; medii postici spatio modo parvo a lateralibus posticis separati sunt.

Sternum parum longius quam latius, inverse ovatum, planum, impressionibus carens; labium liberum, sub-transversum, apice late truncato, subtiliter granuloso.

Mandibulæ simul sumptæ dimidiam latitudinem cephalothoracis vix latitudine æquant, rastello carentes.

Maxillarum angulus anterior-interior paullo productus est; ad basin intus aream parvam dense granulosam exhibent maxillæ.

Pedes ita: IV, I, II, III longitudine se excipiunt; unguiculis binis lævibus praditi sunt, aculeis carentes. Tarsi apice obtusi, non recte truncati. Scopulæ magnæ et densissimæ pæne usque ad basin metatarsorum I et II pertinent; in metatarso IV saltem apicem internodii tegunt; in tarso (et saltem ad partem in metatarso) IV scopulæ late sectæ sunt.

[1] ὗς, sus, ἀράχνη, aranea.

Mamillæ exteriores tri-articulatæ, articulis cylindratis, art. medio parum longiore quam latiore et reliquis breviore, 1:mo et præsertim 3:io, qui saltem duplo longior quam latior est, eo evidenter longioribus; mamillæ interiores parvæ, breves, circa ad medium art. 1:i exteriorum pertinentes.

Typus: *H. horrida*, n.

Differt hoc genus a »*Solenocosmieis*», Simon, præsertim scopulis tarsorum 4:i paris secundum totam longitudinem *sectis*, præterea, ut videtur, *Loxomphaliæ*, Sim., et *Harpaxotheriæ*, id., affine.

5. **H. horrida,** n., cephalothorace humili, parte cephalica leviter convexa, pube rufescenti et cinerascenti vestito; fovea centrali parva, profunda, paullo transversa, tubere oculorum foveam centralem latitudine non parum superante, pedibus posticis anteriores pedes longitudine paullo superantibus, pube densa cinerascenti vestitis et pilis valde longis, patentibus quasi plumosis, tibiis, metatarsis et tarsis macula rufo-fusca supra notatis et tarso præterea macula ejusmodi apicali, scopulis saltem ad partem in colorem viridi-æneum exeuntibus; abdomine pube ferruginea tecto et pilis longis minus densis ferrugineis sparso. — ♀ *ad.* Long. circa 41 millim.

Feminam singulam adultam ad Bonge (Camerun) cepit Cel. Sjöstedt.

Gen. **Ichnocolus,** Auss., 1871.

6. **I. tomentosus,** n., cephalothorace ferrugineo-fusco, ferrugineo-tomentoso, parte cephalica modice convexa, fovea centrali non parum procurva, tuber oculorum humile latitudine vix æquante, saltem duplo latiore quam longiore; sterno paullulo latiore quam longiore, impressionibus 4 parvis ad margines laterales munito, pilis brevibus subappressis ferrugineis vestito et aliis longioribus sub-erectis sparso, maxillis et coxis fere eodem modo ac sterno pilis vestitis; pedibus 4:i paris pedes 1:i paris longitudine paullo superantibus, pilis longioribus cinerascentibus et ferrugineis sub-tomentosis aliisque etiam longioribus sparsis, subter multis setis fortioribus fasciam longitudinalem formantibus præditis; scopulæ tarsorum metatarsorumque anteriorum angustissime sectæ, scopulæ vero

tarsorum et metatarsorum posteriorum latius et minus æqualiter sectæ, scopulis metatarsorum maximam partem apicalem internodii occupantibus; metatarsis sex posterioribus apice subter aculeatis, pedibus præterea inermibus; abdomine fusco, pilis rufescentibus sparso; mamillis exterioribus abdomine plus duplo brevioribus, nigricantibus. — ♀ (*ad.?*) Long. fere 25 millim.

Femina. — *Cephalothorax* 8 millim. longus est, $6^1/_2$ millim. latus, frons paullo plus 4 millim. lata. Area *oculorum* saltem duplo latior est quam longior, series oculorum postica pæne æque longa atque antica. Series antica modice procurva est, series postica, quæ serie antica vix est brevior, leviter recurva. Oculi medii antici spatio circa dimidiam diametrum suam æquante inter se distant, a lateralibus anticis oblongis — qui mediis anticis paullo minores vel saltem angustiores sunt — spatio etiam paullo minore separati; oculi postici oblongi lateralibus anticis paullo minores sunt, medii postici cum lateralibus posticis (postice) contingentes; medii postici a mediis anticis spatio non parum minore quam a lateralibus anticis sunt remoti. *Labium* sub-quadratum, area apicali lata granulorum minutorum densorum scabra; *maxillæ* quoque ad basin intus area ejusmodi granulorum prædita est. Ped. I 22 (pat. + tib. 9, metat. $3^1/_2$), II 19, III 17, IV $23^1/_2$ (pat. + tib. 9, metat. 5) millim.; abd. 13 millim. longum, et pæne 8 millim. latum; mamillæ exteriores circa 5 millim. longæ.

Feminam singulam, quæ adulta videtur, in Camerun cepit Sjöstedt.

Gen. **Ammonius,**[1] n.

Typus hujus generis, quem cum Clar. Simon communicavi, ab eo ut generis adhuc ignoti agnotus fuit, gen. *Leptopelmati* (Auss.) præsertim affinis. Area oculorum in hac aranea multo magis transversa quam in *Leptopelmate* est, oculis lateralibus utriusque lateris pæne contingentibus inter se (in *Leptopelmate* spatio oculi diametrum æquante separati sunt); labium pæne lævе est, modo duobus granulis minutis præditum, maxillæ serie singula granulorum ejusmodi; scopulæ tarsorum setis mixtæ sunt, sed non »sectæ», cet.

Typus: *A. pupulus*, n.

7. **A. pupulus,** n., cephalothorace humili, postice truncato, parte cephalica parum elevata, anteriora versus fortius angustata, fusco-testaceo, pube sub-appressa sericea cinerascenti-testacea sat dense vestito, sulco centrali trans-

[1] Nom. propr. histor.

verso subrecurvo, area oculorum parva hunc sulcum latitudine parum superante; oculis anticis confertis in seriem fortius procurvam dispositis, serie posticorum ea paullo breviore, parum recurva, pæne recta, oculis mediis anticis rotundis et nigris laterales anticos albicantes et rotundatos magnitudine vix superantibus, posticis oculis, præsertim mediis posticis, iis multo minoribus, et spatio modo exiguo a lateralibus posticis remotis; rastello mandibularum obsoleto (in mare); labio transverso, pæne lævi; parte tarsali palporum longe ante bulbum genitalem pertinente, bulbo testaceo, lævissimo, pæne globoso (paullo oblongo et sub-depresso), incisura parva prope apicem lateris interioris prædito, quæ corpore parvo transverso et truncato occupatur; pedibus apicem versus gracilibus, ita: IV, I, II, III longitudine se excipientibus (4:i et 1:i parium tamen eadem longitudine fere), pilis longioribus mollibus vestitis, scopulis tenuibus et setis mixtis sed non evidenter sectis præditis, aculeis in metatarsis et tibiis anterioribus paucis (in metatarso subter 1. 1.), in tibiis et metatarsis posterioribus compluribus, armatis (calcaribus vel spinis carentibus), femoribus, patellis et tarsis inermibus, unguiculis tarsorum binis, lævibus; abdomine oblongo, subcinereo; mamillis exterioribus testaceis, abdomine plus duplo brevioribus. — ♂ *ad.* Long. (cum mandib.) paullo plus 9 millim.

Marem singulum adultum in Camerun invenit Sjöstedt. Long. cephaloth. ejus paullo plus 4, lat. ej. paullo plus 3 millim. est; ped. I 11 (pat.+tib. 3¼), II 9, III paullo plus 8, IV 11 (pat.+tib. 3½, metat. 2) millim. longi.

Subordo **Antiodontes.**

Tribus **Pseudo-territelariæ.**

Fam. **Dysderidæ.**

Subfam. **Segestriinæ.**

Gen. **Ariadne,** Sav., 1825—1827.

8. **A. rapinatrix,** n. cephalothorace longiore piceo, lævi, parte cephalica anteriora versus paullo angustata, sterno cum labio piceo; pedibus anterioribus piceis, posterioribus cum

coxis anteriorum rufescenti-ferrugineis, pedibus anterioribus magis versus apicem setis et pilis fortibus suberectis vestitis et aculeis fortibus, subter in tibiis et metatarsis biseriatis, in latere horum internodiorum anteriore vero seriem singulam formantibus armatis, versus apicem femorum 1:i paris, intus, binis aculeis, versus apicem femorum 1:i paris singulo aculeo præditis, pedibus 3:ii paris et subter, et antice et postice in tibiis et metatarsis, sed minus fortiter aculeatis, aculeo etiam supra in patellis armatis, pedibus 4:i paris modo aculeo singulo, in apice metatarsorum, præditis; abdomine cinereo-fusco, plaga magna oblonga inæquali nigro-fusca anterius, maculis paucis ejusdem coloris in utroque latere et macula majore apicali, iis quoque nigro-fuscis, notato; ventre fusco; mamillis brevissimis, pallidis. — ♀ (ad.?) Long. 6 millim.

Exemplum femineum quod singulum vidi in Camerun a Sjöstedt est inventum.

9. **A. læta,** n., cephalothorace ferrugineo-rubro, parte cephalica pilis raris nigris sparsa, sterno et pedibus rufotestaceis; pedibus eodem modo atque in *A. rapinatrice* aculeatis, metatarsis 4:i paris, tamen aculeis binis subter armatis, altero versus basin, altero in apice internodii sito; abdomine nigro-fusco, pilis fuscis vestito. — ♀ *ad.* Long. 6½ millim.

Feminam singulam ad Kitta in Camerun cepit Sjöstedt.

Tribus Tubitelariæ.

Fam. Zodariidæ.

Subfam. Storenidæ.

Gen. **Storena** (Walck.), 1805.

10. **S. decurtata,** n., cephalothorace rufescenti-testaceo, nitido, lævi, sterno, partibus oris, palpis et pedibus pallidius testaceis; abdomine sub-globoso, modo paullo longiore quam latiore, supra nigro, hac area dorsuali amplissima in utroque margine saltem posterius sat crasse serratodentata, ventre toto albicanti, modo macula parva inæquali nigra utrinque apud aream mamillarum notato; mamillis

quattuor, omnium brevissimis. — ♀ *ad.* Long. circa 5½ millim.

Cephalothorax, ut in reliquis hujus generis formis, fortiter convexus est: lævis, margine tenui cinctus. Altitudo clypei longitudinem areæ oculorum, qui rectangulum longiorem quam latiorem formant, multo superat; oculi medii antici reliquis oculis non parum majores sunt, laterales postici reliquis paullo minores. Series oculorum antica fortiter procurva est, series postica etiam fortius procurva; oculi laterales postici cum medicis anticis seriem a fronte visam evidenter recurvam formant. *Labium* magnum, triangulum, apice acuminatum. *Pedes*, præsertim 4:i paris, sat dense et fortiter nigro-aculeati. *Abdomen* rugam elevatam in semicirculum sursum curvatam et serie spinularum nigrarum præditam circa aream *mamillarum* format; modo quattuor sunt mamillæ, omnium brevissimæ, duæ inferiores (posteriores) modo paullo (art. ultimo) eminentes, duæ superiores (anteriores) etiam breviores et angustiores, *non* evidenter e cute eminentes. *Vulva* e plaga sat parva inæquali picea, postice rotundata et in medio impressa, constat.

Femina adulta, quam singulam et diffractam vidi, a Sjöstedt ad Kitta (Camerun) inventa est.

Fam. Clubionidæ.

Gen. **Procopius**,[1] n.

Hoc novum[2] genus *Tracheleis* et *Corinnis*, Simon,[2] præsertim affine est, ab illis labio *non* longiore quam latiore diversum, ab his autem margine postico sulci unguicularis mandibularum dentibus modo *duobus* armato præsertim distinguendum.

11. **P. æthiops**, n., cephalothorace anteriora versus elevato, dense et subtiliter granuloso, nigro, parte cephalica crassa et undique sat fortiter convexa, a parte thoracica impressione latissima procurva distincta; oculis anticis, quorum medii reliquis oculis majores sunt, seriem levissime procurvam formantibus, oculis posticis in seriem magis procurvam dispositis; mandibulis longis et fortibus, in margine antico sulci unguicularis 3 dentibus sat fortibus, in margine postiso vero modo 2 dentibus etiam paullo fortioribus armatis; pedibus sat longis et gracilibus, subter in tibiis et metatarsis anterioribus aculeis sat

[1] Nom. propr. histor.

[2] Fortasse *non* novum est hoc genus, sed nescio an in Simon, H. N. d. Araignées, 2:e Éd., II, fasc. 2, quem his diebus accepi, descriptum.

multis et gracilibus armatis; abdomine inverse ovato, nigro, opaco. mamillis luteis. — ♀ *ad.* Long. circa 12½ millim.

Cephalothorax paullo longior est quam latior, utrinque anterius modice angustatus, postice in medio sat profunde sed anguste emarginatus, parte cephalica magna crassa et undique sat fortiter convexa a parte thoracica impressione transversa ampla separata, sulco centrali brevi forti mox pone hanc impressionem (in medio transversam) sito, parte thoracica utrinque sat fortiter rotundata et secundum utrumque marginem lateralem sulco sive impressione longitudinali plus minus evidenti prædita; supra cephalothorax dense et subtiliter granulosus est, opacus. Pars cephalica brevis et lata est, anteriora versus paullo dilatata, fronte late et leviter rotundata. Altitudo clypei diametrum oculi medii antici vix æquat; sub ipso margine ejus angustissimo, inter eum et basin mandibularum, pars quædam brevissima transversa et in medio in duas partes divisa conspicitur. Area *oculorum*, in duas series transversas dispositorum, ipsa fronte non parum angustior est; series antica levissime est procurva, series postica magis procurva serie antica paullo longior est; oculi medii antici mediis posticis pæne duplo majores sunt, medii postici lateralibus posticis evidenter majores et lateralibus anticis parvis etiam minores. Oculi medii aream paullo latiorem quam longiorem et vix latiorem antice quam postice occupant; medii antici paullo longius inter se quum a lateralibus anticis distant, medii postici paullo longius a lateralibus posticis quam inter se. Oculi bini laterales spatio parvo, anterioris eorum diametrum non æquante, inter se separati sunt. *Mandibulæ* magnæ, paullo plus duplo longiores quam latiores, fortes, anteriora versus et deorsum directæ, impressione transversa fortissima paullo obliqua prope basin notatæ, quæ a macula (tuberculo) basali ad latus mandibulæ interius ducta est; supra et ad longitudinem et transversim convexæ sunt et dense et subtiliter granulosæ. Sulcus unguicularis in margine antico, posterius, 3 dentibus sat fortibus armatus est, et in margine postico, contra eos, 2 dentibus etiam paullo fortioribus. Subter mandibulæ nitidæ sunt et transversim sat dense striato-rugusæ. *Labium*, apice truncatum et vix longius quam latius, modo ad medium longitudinis maxillarum pertinet. *Pedes* sat graciles et longi subtiliter granulosi sunt et pube subtilissima tecti. Pedes 1:i paris in femoribus, intus versus apicem, aculeum singulum longum ostendunt, tibiæ 1:i paris subter 7 paria aculeorum longorum appressorum sat gracilium habent, metatarsi subter 5 paria aculeorum ejusmodi. Pedes 2:i paris 6 paria aculeorum ejusmodi subter in tibiis ostendunt et 5 paria subter in metatarsis. Pedes 3:ii et 4i parium aculeos debiliores modo 1, 2 vel 1 subter in tibiis, et 2, 2 subter in metatarsis ostendunt. Tarsi et metatarsi subter scopula tenui prædita sunt; tarsi in apice unguiculis binis longioribus (in dorso rectis), dentibus sat multis pectinatis et in fasciculo unguiculari densissimo occultatis armati sunt. *Abdomen* pulchre et inverse ovatum. *Mamillæ* superiores et inferiores subæquales, diametrum suam duplam longitudine circiter æquantes, superiores evidenter biarticulatæ, art. 2:o minuto. *Color.* — *Cephalothorax*, *mandibulæ*,

maxillæ et *sternum* nigra, femora picea, *pedes* præterea rufescenti-picea. *Adomen* nigrum, opacum. *Mamillæ* luteæ.

Lg. cephaloth. $4^3/_4$, lat. ej. pæne 4, lat. front. 3 millim, lg. abd. 7, lat. ej. 5 millim. Ped. I 18, II 16, III $14^3/_4$, IV $17^1/_2$ millim. Mandib. 3 millim longæ.

Singulum exemplum femineum, in Camerum captum, domum reportaverunt VALDAU et KNUDSEN.

12. **P. vittatus,** m., cephalothorace nigro, dense rugoso-punctato, anteriora versus sensim elevato, parte cephalica magna et convexa, fronte late truncata; mandibulis mediocribus, sub-deplanatis, dimidio longioribus quam latioribus, sulco unguiculari in margine anteriore dentibus tribus, in margine posteriore duobus dentibus armato; palporum parte tibiali dentibus duobus crassis in latere exteriore armato; pedibus piceis vel rufo-piceis, anterioribus in femore aculeis binis, subter in tibiis 5 paribus aculeorum, subter vero in metatarsis 2 paribus aculeorum armatis, abdomine ovato nitido nigro, vittis transversis rufescentibus saltem posterius ornato. — ♂ *ad.* Long. circa $7^1/_2$ millim.

Cephalothorax paullo longior quam latior, anteriora versus sensim elevato-convexus, utrinque anterius modice angustatus, postice truncatus, dense et sat subtiliter rugoso-punctatus, parte cephalica sat magna, supra æqualiter convexa, impressione levissima lata procurva a parte thoracica separata, fronte late truncata, sulco centrali sat forti et brevi mox pone impressionem illam sito. Area *oculorum* maximam partem latitudinis frontis occupat: series eorum antica paullulum procurva est, series postica eâ paullo longior et paullo fortius procurva; oculi medii antici reliquis oculis non parum majores sunt, laterales antici reliquis minores. Oculi medii aream pæne quadratam, vix latiorem quam longiorem et vix latiorem postice quam antice occupant. Oculi medii antici spatio paullulo majore inter se quam a lateralibus anticis remoti sunt, medii postici vero paullo longius a lateralibus posticis quam inter se distant. Oculi bini laterales spatio posterioris eorum diametrum saltem æquante separati sunt. *Mandibulæ* mediocres, paullo obliquæ, deplanatæ sed supra modice convexæ, dense et sat subtiliter granulosæ, circa dimidio longiores quam latiores; in margine antico sulci unguicularis 3 dentibus, in margine ejus postico modo 2 dentibus armatæ sunt. *Palpi* mediocres: pars eorum tibialis in latere exteriore duobus dentibus crassis armata est. *Pedes* anteriores in latere interiore femorum magis versus basin 2 aculeos habent, tibiæ horum pedum subter 5 paria aculeorum mediocrium appressorum ostendunt, metatarsi anteriores saltem 2 paria aculeorum ejusmodi; in reliquis pedibus pauciores sunt aculei. Saltem subter in femoribus pedes subtiliter granulosi sunt. *Abdomen* oblongum, nitidum.

Color. — *Cephalothorax* cum mandibulis niger, *sternum* nigro-piceum. *Palpi* in medio rufescentes, præterea nigro-picei. *Pedes* anteriores nigro-picei, posteriores magis rufescenti-picei; apicem versus magis rufescentes evadunt pedes. *Abdomen* nigrum, fasciis transversis densis rufescentibus pictum. Venter niger. — Lg. cephaloth. $3^3/_4$, lat. ej. paullo plus $2^3/_4$; lg. abd. pæne 4, lat. ej. $2^1/_4$ millim. Ped. I $12^1/_4$, II $12^1/_2$, III $8^1/_2$, IV 11 millim. longi.

Marem singulum in Camerun invenit SJÖSTEDT.

Gen. **Corinna** (C. L. KOCH).

13. **C. areolata**, n., cephalothorace paullo longiore quam latiore, satis æqualiter convexo et densius et subtiliter areolato-granulato, nigro-piceo, clypeo supra basin mandibularum sub-inflato; oculorum serie antica fortiter deorsum curvata vel procurva, postica quoque fortiter procurva; pedibus minus elongatis, rufo-piceis, femore 1:i paris antice ad apicem aculeis binis majoribus armato, tibiis anterioribus subter serie duplici aculeorum longorum appressorum, 8 paria formantium, metatarsis anterioribus ejusmodi aculeis, 4 paria formantibus, subter armatis; abdomine pulchre ovato, fusco, mamillis subtestaceis. — ♀ *ad.* Long. $6^1/_2$ millim.

Cephalothorax paullo longior quam latior, postice fortius convexo-declivis sed præterea satis æqualiter convexus, utrinque anterius sat fortiter constrictus, parte cephalica sat parva anteriora versus sensim paullo angustata, fronte dimidiam partem thoracicam latitudine non æquante. Postice in medio cephalothorax truncatus est; clypeus in medio, inter oculos medios anticos supra basin mandibularum evidenter incrassatus sive inflatus est. Altitudo clypei diametrum oculi medii antici evidenter superat. Totus cephalothorax supra areolato-granulatus est; sulcus centralis fortis et brevis. Series *oculorum* antica fortiter deorsum curvata sive procurva est, series postica quoque fortiter procurva; oculi postici oculis mediis anticis plus duplo minores sunt, laterales antici cum lateralibus posticis sub-contingentes iis vix minores. Area mediorum latior est quam longior, vix latior antice quam postice. *Mandibulæ* ad basin transversim depressæ sunt, dein convexæ et subconicæ. Sulcus mandibularum unguicularis antice 3, postice 3 dentibus conicis acuminatis armatus est. *Labium* late truncatum, vix longius quam latius, modo ad medium maxillarum pertinens. *Palporum* pars tarsalis evidenter paullo incrassata est. *Pedes* mediocres, 1:i paris $8^1/_4$, 2:i paris $8^1/_2$, 3:i paris 8, 4:i paris 10 millim. longæ. Femora 1:i paris aculeos binos sat magnos in latere interiore, ad apicem habent, et pone eas, subter, seriem longitudinalem spinarum minutarum; tibiæ anteriores (quarum præsertim 1:i paris subter deplanatæ sunt), series

duas aculeorum longissimorum appressorum subter habent, sive 8 paria spinarum ejusmodi; metatarsi anteriores subter ejusmodi aculeis armati sunt, in 4 paria ordinatis. Spinæ subter in tibiis et metatarsis tuberculis parvis impositæ sunt. Unguiculi tarsorum paullo breviores quam in priore specie sunt et modo dentibus paucis et brevibus pectinati. *Abdomen* pulchre ovatum, circa 4 millim. longum et 3 millim latum. *Mamillæ* parvæ et breves. — Lg. cephaloth. 3, lat. oj. $2^1/2$; lg. abd. 4, lat. oj. 3 millim. Ped. I $8^1/4$, II $8^1/2$, III 8, IV 10 millim. longi.

Cephalothorax, *sternum*, *mandibulæ*, *maxillæ* et *labium* nigro-picea sunt, *pedes* rufo-picei. *Abdomen* nigro-fuscum, *mamillæ* sub-testaceæ.

Feminam singulam adultam in Camerun invenit SJÖSTEDT.

Gen. **Chiracanthium** (C. L. KOCH) 1839.

14. **Ch. peregrinum**, n., cephalothorace modice convexo, stria centrali carente, rufo-testaceo, cinereo-pubescenti; mandibulis deorsum directis, in dimidio basali sub-cylindratis, et modice convexis, apicem versus sensim angustatis, circa duplo et dimidio longioribus quam latioribus basi, lævissimis, pilosis, rubris, summo apice nigris, margine sulci unguicularis postico sat longe ab ipso apice dentibus binis sat parvis armato; sterno cum pedibus rufo-testaceo, abdomine cinereo-fusco, pube sat densa cinerea tecto et sub-villoso; mamillis superioribus rectis et plane retro directis, art. 1:mo cylindrato, saltem duplo longiore quam latiore, art. 2:o art. priore paullo breviore et eo basi duplo angustiore, apicem versus sensim angustato, pæne conico, plus triplo longiore quam latiore basi. — ♀ *ad.* Long. paullo plus 8 millim.

Oculi antici recte a fronte visi lineam rectam, vix evidenter recurvam, formant, oculi postici lineam sat leviter recurvam. Oculi medii paullulo longius a lateralibus quam inter se separati sunt; area mediorum non parum latior est postice quam antice, et paullulo latior antice quam longior. Spatium inter oculos binos laterales eorum diametro circa duplo minus est. *Pedes* in femoribus circa 1. 1. vel 2. 2. aculeis armati videntur, in tibiis 2 vel 1. 1., in metatarsis 1:i paris aculeis 2 ad basin, in reliquis metatarsis aculeis 6. *Vulva* ex area sat magna impressa pæne plana sed paullo inæquali nigro-fusca constat, quæ æque longa ac lata postice est, postice truncata, anterius breviter et obtuse triangula fere. — Lg. cephaloth. 4, lat. oj. 3 millim. Ped. I $16^1/4$, II circa $12^1/2$, III $9^1/4$, IV $12^1/2$ millim. longi. Abd. 5 millim. longum, 3 millim. latum.

Unicam feminam adultam in Camerun cepit SJÖSTEDT.

15. **Ch. simplex,** n., cephalothorace cinereo-testaceo, pube tenui cinerascenti vestito, sulco ordinario medio distincto; mandibulis rufo-testaceis, duplo et dimidio longioribus quam latioribus basi, in dorso parum convexis, apice late et valde oblique truncatis; pedibus gracilibus, aculeis mediocribus, paucioribus, in femoribus anterioribus 1. 1. utrinque, superius, armatis, in femoribus 4:i paris 1 aculeo utrinque, versus apicem, præditis, tibiis 3:i paris saltem 1. 1. aculeo utrinque, superius, metatarsis 1:i et 2:i paris saltem 1 aculeo ad basin antice vel subter, metatarsis posterioribus pluribus aculeis præditis; abdomine anguste ovato, cinerescenti, pube sat tenui pallida vestito; vulva e fovea sat profunda margine crassiore nigro cincta, antice fortiter rotundata, in medio postice aperta constante; mamillis superioribus rectis, art. 1:mo duplo longiore quam latiore, art. 2:o eo pæne duplo angustiore et non parum breviore, sub-conico, fere triplo longiore quam latiore basi. — ♀ *ad.* Long. $6^1/_2$ millim.; long. cephalothor. 3, long. abdom. $3^1/_2$ millim.; ped. I 17, II $9^1/_2$, III $7^1/_2$, IV $11^1/_2$ millim. longi.

Unicam feminam a me visam in Camerun invenit SJÖSTEDT.

Fam. **Dictynidæ.**

Gen. **Mnesitheus,**[1] n.

Hoc genus *Amaurobio*, C. L. KOCH, præsertim affine est, ab eo tamen *cribello indiviso* et, ut videtur, calamistro non distincto facillime distinguendum.

Typus: *M. asper*, n.

16. **M. asper,** n. cephalothorace saltem dimidio longiore quam latiore, piceo, utrinque anterius modo sat leviter angustato, in medio postice emarginato, lateribus partis thoracicæ sat leviter rotundatis, sulco centrali longius retro locato, brevi sed fortissimo; parte cephalica modice convexa, fronte lata, convexa; sterno postice inter coxas 4:i paris inter se contiguas non producto; sulco unguiculari mandibularum postice dentibus tribus obtusis, antice quoque tribus dentibus, quorum medius reliquis major est, armato;

[1] Nom. propr. histor.

pedibus fusco-testaceis, fusco-pubescentibus, nigro-pilosis et -aculeatis; abdomine cinereo-fusco, pilis brevibus cinereo-luteis vestito; mamillis sub-testaceis. — ♀ *ad.* Long. circa 14 millim.

Series *oculorum* antica recta est, series postica, eâ non parum longior, modice procurva. Oculi medii antici reliquis oculis pæne æqualibus paullo minores sunt et a lateralibus anticis spatio paullo majore remoti quam quo hi inter se distant; spatium inter oculos medios anticos eorum diametrum modo æquat; oculi laterales postici non parum longius a mediis posticis quam hi inter se remoti sunt. Oculi medii aream evidenter paullo latiorem postice quam antice sed parum longiorem quam latiorem antice occupant. Spatium inter oculos binos laterales eorum diametrum æquat. *Mandibulæ* fortes, convexæ, pæne duplo longiores quam latiores. *Maxillæ* in labium curvatæ; *labium* non parum longius quam latius, apice truncatum. *Pedes* obtusi, fortes, aculeis sat multis brevibus præsertim subter et intus armati, scopulis densis in tarsis et in metatarsis saltem anterioribus præditi. *Mamillæ* crassæ, subæquales. *Vulva* ex fovea sat magna, oblonga, multo longiore quam latiore, in fundo sub-testacea constat, quæ callo lato procurvo corneo piceo utrinque includitur. — Lg. cephaloth. $6^2/_3$, lat. ej. $4^1/_4$; lat. front. 3 millim., lg. abd. $7^1/_2$, lat. ej. 5 millim. Ped. I $14^1/_2$, II 13, III 10, IV 14 millim. longi.

Color. — *Cephalothorax* piceus, postice magis rufo-piceus, pube et pilis secundum medium dorsi densioribus et sub-testaceis, præterea nigricantibus vestitus. *Mandibulæ* nigræ, ipso apice luteo-pilosæ, præterea pilis nigris sparsæ. *Maxillæ* et *labium* picea. *Palpi* et *pedes* fusco-testacei, fusco-pubescentes, nigro-pilosi et -aculeati. *Abdomen* cinereo-fuscum, pilis brevibus appressis cinereo-luteis supra tectum; venter quoque sub-cinereo-fuscus est, pube densa brevi appressa cinereo-lutea vestitus.

Feminam singulam in M'apanja (Camerun) invenerunt Valdau et Knudsen.

Tribus Retitelariæ.

Fam. Scytodidæ.

Gen. **Scytodes,** Latr., 1804.

17. **S. marmorata,** L. Koch, 1892.

Singulum exemplum femineum adultum hujus speciei, multis locis Australiæ et Asiæ meridionalis vulgaris, et etiam in America meridionali inventæ, in Ekundu (Camerun) cepit Sjöstedt.

18. **S. multi-lineata,** n., cephalothorace flavo-testaceo, setis brevibus nigris sparso et lineis longitudinalibus com

pluribus nigris ornato, quarum media ab oculis mediis anticis retro versus marginem posticum ducta est, altera utrinque (postice cum ea conjuncta) anteriora versus ad interstitium inter oculos binos laterales est ducta, tertia brevissima, utrinque a margine cephalothoracis antico per hos binos oculos retro ducta et cum alia linea minus æquali et postice cum illis mediis conjuncta et antice late abrupta quasi continuata; lineis utrinque tribus cum sequentibus binis conjunctis et transversim per declivitatem cephalothoracis ductis et postice eam cingentibus: primum linea zig-zac-formis, et denique lineæ duæ subrectæ nigræ, et, apud exteriorem earum, series longitudinalis marginalis macularum nigrarum; sterno testaceo, striis paucis obscuris utrinque; mandibulis et palpis paullo nigro-maculatis; pedibus testaceis, setis brevibus sub-curvatis præsertim supra in tibiis sat dense præditis, femoribus subter linea nigra et serie punctorum nigrorum notatis, tibiis plerisque annulo nigro basali alioque apicali et præterea linea tenui longitudinali nigra supra præditis; abdomine pæne globoso, sub-cinereo-testaceo, vittis transversis inæqualibus nigricantibus cincto, quarum ultimæ inter se unitæ apicem abdominis in forma annulorum cingunt. — ♂ *ad.* Long. 4½ millim.

Marem singulum vidi, in Camerun a Sjöstedt inventum. — Quum in hoc exemplo *unguiculum* parvum *tertium* in tarsis vidisse videar, hanc speciem ad gen. *Scytodem*, Latr., *non* ad gen. *Dictyem*, L. Koch, referendam credidi.

19. **S. (?) coronata,** n., cephalothorace sat leviter convexo sed secundum maximam longitudinis partem posteriora versus sensim paullo adscendente, postice tamen brevi spatio abruptius descendente, elliptico, lævi et nitido, testaceo, corona marginali triplici obscura postice interrupta circumdato, corona interiore e maculis oblongis rufo-fuscis composita, secunda sive media e linea nigra formata, tertia (extima) plus minus integra e maculis nigris vel fuscis formata; clypeo ante oculos 1:i paris angusto, humili et truncato, sterno testaceo, pulchre ovato; pedibus longissimis et omnium gracillimis, pallide testaceis, patellis et apice tibiarum nigris, abdomine ovato, albicanti-testaceo, supra anterius maculis 4 majoribus rufo-fuscis ornato,

quarum duæ oblongæ et oblique retro directæ sunt, reliquæ duæ minores, inæquales, posterius vero in dorso maculis paucis parvis et, ad apicem dorsi posticum, lineis paucis transversis ejusdem coloris notato; ventre toto pallido. — ♂ *ad.* Long. circa 4 millim.

Oculi 6 in tria paria, triangulum formantia et bini inter se proximi vel potius contingentes inter se dispositi sunt. *Palpi* mediocres pallidi, parte patellari pæne æque lata ac longa, parte tibiali eâ non parum latiore et duplo longiore quam latiore; parte tarsali parte tibiali angustiore et paullo pone basin subito in apophysin angustam pæne rectam pilosam producta, quæ subter serie setarum longiorum quasi pectinata est; bulbus sub basi partis tarsalis affixus, basi crassus et pæne globosus est et tum in procursum gracilem sive stilum pæne rectum productus, qui apophysin partis tarsalis longitudine pæne æquat. — Long. cephaloth. 2, lat. ej. circa $1^1/_2$ millim.; long. ped. I circa 45, II (et IV) circa 28, III circa 18 millim.; abd. circa 2 millim. longum est et circa $1^1/_4$ millim. latum.

Exemplum masculum singulum paullo incompletum cum aliis exemplis duobus diffractis (abdomine et maxima parte pedum carentibus!) in Camerun invenit SJÖSTEDT.

Fam. **Pholcidæ.**

Gen. **Smeringopus,** SIM., 1890.

20. **S. Africanus,** n., cephalothorace testaceo, parte cephalica cum clypeo et mandibulis, et limbo laterali sub-marginali areaque oblonga anguste ovata inter foveam centralem et marginem cephalothoracis posticum nigro-piceis; sterno cum labio et maxillis nigro; palpis nigro-fuscis; coxis summo apice nigro excepto luteis, pedibus præterea fusco-testaceis vel testaceo-fuscis, femoribus et tibiis annulo lato nigro versus apicem testaceum cinctis, et tibiis annulo basali ejusmodi notatis quoque; abdomine cylindrato, circa 5:plo longiore quam latiore, apice oblique acuminato (longiore infra quam supra), nigricante, lineis vel fasciis duabus albicantibus paullo flexuosis secundum totum dorsum extensis ornato, quæ interstitio nigricante bis paullo dilatato, dein brevi spatio angustissimo, in tertia longitudinis parte vero denuo non parum dilatato separatæ sunt, exteriore harum vittarum 3 vel 4 ramos oblique retro et deorsum directos per latera ad longitudinem albicanti-striata emittente; ventre duabus vittis longitudi-

nalibus rectis nigris ornato, quæ linea longitudinali alba per $^2/_3$ longitudinis earum extensa separatæ sunt (hac linea demum puncto albo continuata) et quarum exterior alia linea alba est limbata. — ♀ *ad.* Long. circa 9 millim.

Lg. cephaloth. 2, lat. ej. circa 2 millim., lg. abd. 7, lat. ej. c:a 2 millim. Ped. I circa 35, II ? III ? IV circa 37 millim. *Vulva* tuberculum forte nigrum format.

Femina adulta in Camerun a SJÖSTEDT inventa est; duas feminas juniores ad Kitta ibidem cepit quoque.

21. **S. armatus,** n., cephalothorace luteo, spatio triangulo inter foveam centralem et marginem cephalothoracis posticum fusco, clypeo alto utrinque inter oculos spina forti paullo deorsum curvata armato, et in margine, supra mandibulas, spinis tribus porrectis; sterno lævi, fusco; mandibulis pæne directis, in latere interiore tuberculo magno sub-bifido sive apice impresso præditis; palpis luteis vel luteo-testaceis, crassissimis, parte femorali apicem versus sensim fortiter incrassata et vix longiore quam latiore apice, parte patellari crassissima, supra convexa, subter brevissima; parte tibiali non parum longiore quam latiore et apice in procursum fuscum et multo angustiorem producta, qui apice oblique truncatus, pilosus et ter incisus videtur, alioque procursu paullo breviore, et apice tridentato, cum illo parallelo (an e latere interiore partis tarsalis excurrente?) prædita; pedibus valde longis (28—30 millim.), luteis, lævibus, annulo sub-fusco plus minus distincto paullo ante apicem anguste sub-testaceum femorum et tibiarum præditis; abdomine oblongius ovato, convexo, postice acuminato, in dorso maculis fuscis plus minus marmorato; ventre pallido, vittis duabus fuscis inæqualibus apice postice inter se conjunctis secundum medium extensis ornato. — ♂ *ad.* Long. $4^1/_2$ millim.; long. cephaloth. $1^1/_2$, lat. ej. $1^1/_2$ millim., long. abd. $2^1/_2$, lat. ej. circa $1^1/_4$ millim.

Marem singulum, altero palpo et pedibus quibusdam carentem, in Camerun invenit SJÖSTEDT.

Gen. **Micromerys,** BRADL., 1877.

22. **M. debilis,** n., cephalothorace deplanato, antice sat late truncato, testaceo, inter oculos transversim depresso et

fusco-testaceo, sterno, clypeo et mandibulis testaceis; oculis sex, in duos triangulos sat late inter se separatos dispositis; palpis albicanti-testaceis, pedibus pallide testaceis, femoribus et tibiis apice cum patellis nigris; abdomine cylindrato, circa 5:plo longiore quam latiore, postice breviter et oblique truncato-acuminato, paullo longiore subter (apice) quam supra, supra albicanti-testaceo, immaculato; vulva transversa, circa triplo latiore quam longiore, in medio longiore quam versus extremitates, et rubra, ventre magis versus apicem plaga magna rufescente notato. — ♀ *ad.* Long. corp. 5½ millim., long. et lat. cephaloth. pæne 1 millim., lg. abd. 4½, lat. ej. pæne 1 millim.; ped. circa 18—20 mill. longi.

Exemplum femineum adultum, cum alio exemplo abdomine et pedibus plerisque carens examinavi, in Camerun a Sjöstedt inventum.

Fam. Theridiidæ.

Subfam. Theridiinæ.

Gen. **Argyrodes,** Sim., 1864.

23. **A. modestus.** n., cephalothorace nigro-fusco, pallido-marginato, sterno ferrugineo-fusco, mandibulis sub-testaceis, maxillis et labio ferrugineo-fuscis, illis apice late, hoc apice anguste ferrugineo-testaceo, palpis testaceis, parte tarsali paullo infuscata, pedibus sub-fusco-testaceis, hic illic infuscatis; abdomine sub-triangulo et sub-compresso, posteriora versus sensim adscendenti, postice late et oblique truncato, dorso non parum longiore quam ventre; ad colorem cinerascenti, apice postico satis anguste oblique et inæqualiter nigro, et in utroque latere, ante hunc apicem, utrinque, fasciis binis obliquis argenteis parallelis ornato, altera parum ante apicem nigrum, altera versus medium lateris sita, declivitate abdominis nigra secundum medium cinereo-argentea quoque, ventre in medio cinereo, basi cum vulva nigra. — ♀ *ad.* Long. fere 4½ millim. Femina adulta singula (pedibus ad partem mutilatis) a Sjöstedt in Camerun inventa est.

Gen. **Episinopsis,** Sim., 1894.

24. **E. rhomboidalis,** Sim., 1895.[1]

Femina, quam ab exemplo *E. rhomboidalis*, Sim., in Palón Birmaniæ capto distinguere nequeo, in Camerun a Sjöstedt inventa est.

Gen. **Theridium** (Walck.) 1805.

25. **Th. scenicum,** n., cephalothorace forma in hoc genere ordinaria, fusco-testaceo, margine laterali sat late nigro, et vitta media longitudinali lata nigra totam partem cephalicam occupante et utrinque in parte thoracica, anterius, ramum fortem transversum emittente, fovea centrali oblonga et sat lata nigra quoque; clypei altitudine longitudinem ordinis a tribus oculis seriei anticæ formatæ æquante; serie oculorum antica paullo sursum, serie postica paullo deorsum curvata, spatiis sub-æqualibus inter oculos anticos eorum diametrum non æquantibus, oculis mediis, quorum antici posticis paullo majores videntur, in quadratum dispositis, lateralibus binis contingentibus inter se; mandibulis et maxillis testaceis, labio obscuriore, apice rotundato, maxillis plus duplo breviore; palpis et pedibus fusco-testaceis, sat dense nigro-annulatis præsertim in femoribus et in pedibus posterioribus; pedibus, ut videtur, ita: I, IV, II, III longitudine se excipientibus, 1:i paris sat longis (10 millim.), 3:ii paris multo brevioribus; abdomine alto, conico-triangulo, antice in formam coni sensim elevato, tum a summo coni sensim descendente, declivitate postica ab apice coni pallido usque ad mamillas serie macularum majorum paucarum testacearum inæqualium picto, utrinque vero lineis paucis subrectis obliquis, alternantibus pallidis et nigris, antice quoque nigro- et pallido-variato. — ♀ *ad.* Long. circa 5½ millim.

Exemplum singulum femineum a Sjöstedt in Camerun inventum est.

[1] Études arachn. XLI. Descript. d'espèces et de genres nouv. de l'ordre des Aranеæ, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 1895, p. 136.

26. **Th. tepidariorum,** C. L. Koch, 1841. (Forma princip.)
Feminam juniorem hujus formæ, quæ pæne ubique in orbi terrarum vitam degit, in Camerun invenit Sjöstedt.

27. **Th. tessellatum,** n., cephalothorace, sterno, partibus oris, palpis pedibusque luteis, pedibus pilis longioribus et ad partem fortibus vestitis; abdomine globoso, pilis longioribus nigris supra sparso, in dorso albicanti-cinereo, maculis tribus majoribus obscurius cinerascentibus et versus medium aliis tribus ejusmodi maculis notato, et utrinque posterius plaga oblonga ejusdem coloris, qua macula pallida oblonga utrinque dentata includitur, his maculis et plagis pæne totum dorsum abdominis occupantibus; ventre albicante, umbra nigricante prope basin et macula magna triangula nigra, mamillas albicantes postice includente et apice antico ad dimidiam ventris longitudinem pertinente notato. — ♂ *ad.* Long. circa 3 millim.

Cephalothorax paullo longior quam latior, $1^1/_2$ millim. longus, anterius sensim angustatus, fronte satis angusta, sulco centrali brevi. Altitudo clypei longitudinem seriei a tribus oculis seriei anticæ formatæ æquat. *Oculi* antici a fronte visi in seriem rectam dispositi sunt; oculi postici a fronte visi in seriem procurvam: desuper visi seriem rectam designant. Oculi medii antici reliquis non parum majores sunt. Oculi postici spatiis eorum diametrum æquantibus separati sunt, oculi antici spatiis non parum minoribus et sub-æqualibus separati. Oculi medii in quadratum vel in trapezium parum latius antice quam postice sunt dispositi. Oculi bini utriusque lateris contingentes sunt inter se. *Palpi* graciles, testacei; pars patellaris vix longior est quam latior, sub-nodiformis, bulbus parvus, sub-ovatus, rufo-testaceus, in margine exteriore magis versus apicem dente sat parvo, deorsum curvato munitus. *Sternum* sub-triangulum, apice postico rotundato inter coxas 4:i paris pertinente. *Maxillæ* plus duplo longiores quam latiores, labio apice rotundato plus duplo longiores et in id inclinatæ.

Marem singulum ad Kitta in Camerun invenit Sjöstedt.

28. **Th. molliculum,** n. cephalothorace nigro, nitido; sterno fusco-testaceo, secundum medium obscuriore; mandibulis testaceis, maxillis in labium inclinatis, sub-piceis, margine interiore testaceo; labio brevi, apice rotundato non ad medium maxillarum pertinenti, palpis pallide testaceis; pedibus testaceis, apice tibiarum et metatarsorum nigro, patellis et annulo apicali femorum anteriorum infuscatis quoque; abdomine paullo longiore quam latiore, postice abruptius declivi, albicanti, macula majore rotundata

nigra in declivitate antica notato, aliaque mox supra mamillas, toto ventre nigro quoque, dorso præterea in utroque latere, posterius, maculis 2—3 sursum directis et acuminatis nigricantibus notato. — ♀ *jun.* Long. circa 4 millim.

Cephalothorax paullo longior quam latior, utrinque anterius satis angustatus, clypeo sub oculis transversim impresso, area oculorum mediorum parum altiore. *Oculi* antici in seriem leviter procurvam ordinati, medii antici prominentes, lateralibus anticis paullo majores et paullo longius inter se quam ab iis remoti; paullo longius inter se quam a mediis posticis remoti quoque sunt. Oculi postici lineam sat leviter procurvam formant; medii postici paullo longius a lateralibus posticis quam inter se remoti sunt. *Pedes* sat longi (1:i paris circa 10 mllim.) et, ut abdomen, pilis longioribus pallidis sparsi.

Femina singula nondum adulta a SJÖSTEDT in Camerun inventa est.

Gen. **Teutana**, SIM., 1881.

29. **T. picea**, n., cephalothorace, partibus oris, palpis et pedibus piceis, sterno ejusdem coloris, sat subtiliter et dense punctulato; abdomine breviter elliptico, piceo, nitido, parce pubescenti, arcu sive linea transversa recurva sat longa et angusta alba vel albicanti in declivitate antica cincto, et maculis 4 ejusdem coloris, seriem vel lineam transversam in 4 partes (latius in medio, minus late utrinque) abruptam, recurvam, totum dorsum cingentem, sat longe pone hunc arcum ornato, et in utroque latere pone eam, macula alba, et denique, postice in dorso vel potius in declivitate ejus postica, macula angusta longitudinali in medio plus minus abrupta notato. — ♀ *ad.* Long. circa 7 millim.

Cephalothorax formâ est in hoc genere solita, lævissimus, fronte angusta, fovea ordinaria sat magna, recurva pone centrum sita; clypeus convexus, longitudine areæ oculorum mediorum vix altior. Area oculorum totam frontem occupat; series eorum antica paullulo procurva est, postica evidentius procurva, desuper visa tamen recta. Series postica paullo longior est quam antica. Oculi medii antici reliquis oculis sub-æqualibus sat magnis vix majores videntur; laterales postici spatiis non parum majoribus a mediis posticis separati sunt quam hi inter se, qui spatio dimidiam suam diametrum vix vel non æquanti sunt separati. Laterales antici vix longius a mediis anticis quam hi inter se distant. Area oculorum mediorum paullulo latior est postice quam antice, vix longior

quam latior postice. *Sternum* rufo-fuscum, dense et sat subtiliter punctulatum, postice inter coxas 4:i paris angustissime et vix evidenter productum. *Mandibulæ* subcylindratæ; sulcus earum mandibularis in angulo apicali interiore (marginis postici?) dentibus duobus sat parvis conicis, basi inter se unitis armatus est. *Maxillæ* in labium paullo inclinatæ, longiores quam latiores; *labium* breve, apice truncatum, non ad medium maxillarum pertinens (certo situ tamen inter maxillas parte quadam triangula ulterius continuatum videtur!)

Palpi et *pedes* clarius vel obscurius picei sunt, longius et densius pilosi. *Vulva* ex area nitida transversa antice rotundata constat, quæ postice impressionem transversam bis procurvam ostendit. *Mamillæ* rufo-testaceæ. — Lg. cephaloth. 3, lat. ej. paullo plus 2 millim.; lg. abd. $5^1/_2$, lat. ej. paullo plus 5 millim. Ped. I 10, II 9, III 7, IV 10 millim. longi.

Exempla non pauca feminea hujus specici in Camerun a Sjöstedt collecta sunt.

Gen. **Phoroncidia,** Westw., 1834.

30. **Ph. splendida,** n. cephalothorace cum coxis et trochanteribus pedum nigerrimo, mandibulis luteis, palpis et pedibus ad partem luteis, ad partem nigris, abdomine paullo longiore quam latiore, aculeis 7 armato: 2 in utroque latere dorsi, 3 postice, retro directis; supra et in lateribus argenteo, in utroque latere inferius nigro, macula aurea in medio ventris, et plaga aurea inæquali in declivitate postica, quæ macula oblonga nigra inferius notata est, superius vero sigillis 4 ferrugineis; dorso inter spinas 8 ejusmodi sigillis, præter multis minoribus, consperso, et maculis nigris prædito, quarum una in declivitate antica locum tenet, una transversa utrinque pone aculeos anticos, et una inæqualis utrinque ad basin aculeorum binorum lateralium posteriorum. — ♀ *ad.* Long. circa $4^1/_2$ millim., lg. cephaloth. pæne 2, lat. ej. $1^1/_4$ millim.

Cephalothorax ut in reliquis hujus generis formis est, parte cephalica angustissima et supra clypeum altum prominente. Oculi 8, quorum medii (præsertim duo antici) reliquis majores sunt et trapezium paullo latius antice quam postice in apice partis cephalicæ formant; duo laterales utrinque oblique pone medios anticos positi sunt. *Maxillæ* et *labium* nigra, ut ex. gr. in *Ph. aciculata* et *Ph. Thwaitesii* Cambr.[1] formata. *Pedes* graciles, ita: I, IV, II, III longitudine se excipientes;

[1] Conf. Cambridge, Descr. of a new genus and six new species of spiders, in The Linnean Society's Journal, Zoology, vol. X, tab. 9, fig. 20 & 24.

1:i paris pedes 5 millim. longi sunt. *Abdomen* paullo plus 3 millim. longum, 3 millim. latum, posteriora versus sensim paullo elevatum, postice late et oblique truncatum, apice ventris (cum mamillis) subconico, nigro, oblique deorsum et anteriora versus directo. Aculeis septem gracilibus acutissimis rectis nigris armatum est abdomen: uno utrinque in dorso anterius, oblique sursum et anteriora versus directo, et uno utrinque postice in dorso, his duobus eodem modo ac priores et paullo foras quoque directis, et paullo magis inter se remotis; tum non multo pone eos sed magis infra (supra, in declivitate postica) 3 aculeis retro directis et pæne in seriem transversam pæne rectam dispositis armatum est. Abdomen, quod supra et in lateribus argenteum est, in utroque latere inferius vero nigrum, macula aurea sub-quadrata in medio ventris est notatatum et plaga magna aurea inæquali in declivitate postica, quæ plaga macula oblonga nigra inferius notata est, superius vero sigillis majoribus rotundis ferrugineis 4 (3 + 1). Dorsum abdominis, inter aculeos, 8 sigillis ferrugineis, 3 anterius, 5 (2 + 1 + 2) posterius, notatum est, et præterea multis aliis parvis; maculam nigram in declivitate antica ostendit, aliamque maculam sive striam transversam nigram utrinque, pone aculeos duos anticos, et aliam maculam majorem et inæqualem nigram, utrinque, circum basin aculeorum binorum dorsalium posteriorum. Utrinque in latere inferiore sigillum majus ferrugineum ostendit abdomen, præter multa sigilla parva nigra.

Singulum exemplum femineum adultum pulcherrimæ hujus speciei in Camerun detexit SJÖSTEDT.

31. **Ph. rubens.** n.. cephalothorace nigro, nitido, mandibulis rufescentibus, pedibus anterioribus nigris, posterioribus ad partem rubris; abdomine oblongo, antice truncato, posteriora versus sensim paullo latiore et altiore, supra pæne plano, postice late et oblique truncato, apice postico cum mamillis deorsum et anteriora versus directo, dorso aculeis 7 acuminatis pæne rectis nigris basi plus minus late rufescentibus armato, quorum 4 anteriores sursum et foras directi sunt, 3 vero postici plus minus retro directi, medius eorum plane retro; spatio inter et paullo sub aculeis albicanti inter eos sigillis magnis (3 anterius et 5 posterius) et parvis rufo-ferrugineis dense et arcte repleto, lateribus abdominis nigricantibus, sigillis ferrugineis et rufescentibus sparsis, declivitate ejus postica plaga rubra inæquali occupata, quæ fascia inæquali media nigra inferius notata est; ventre macula media subquadrata rubra notato. — ♀ *ad.* (?) Long. circa $3^1/_2$ millim.

Exemplum singulum femineum etiam hujus speciei in Camerun cepit SJÖSTEDT.

Fam. **Mimetidæ.**

Gen. **Mimetus** Hentz, 1832.

32. **M. insidiator,** n., cephalothorace sub-testaceo, antice longe ante maxillas producto et angustato, mandibulis nigro-fuscis, basi pallidioribus, angustis, rectis, circa 5:plo longioribus quam latioribus, deorsum et retro, versus apicem maxillarum, directis; fovea centrali ordinaria brevi rotundata longe pone centrum cephalothoracis locata; oculis mediis anticis reliquis oculis saltem duplo majoribus, cum mediis posticis aream antice duplo latiorem quam postice formantibus; oculis lateralibus anticis spatio saltem æque magno a mediis anticis separatis ac quo hi inter se distant; pedibus longis, gracilibus, annulis paucioribus pallide ferrugineis cinctis et aculeis longissimis nigris rectis armatis, his aculeis in latere interiore tibiarum et metatarsorum anteriorum seriem formantibus, inter quos binos setæ vel aculei parvi curvati 5—7 series secundi ordinis formant; abdomine paullo longiore quam latiore, antice rotundato, postice in dorso utrinque tuberculo forti obtuso munito, et utrinque, ante id, alio tuberculo humiliore fere in medio longitudinis dorsi prædito; abdomine pone tubercula posteriora deorsum et retro fere in formam coni, apice mamillas gerentis, producto; ad colorem cinerascenti, serie macularum paucarum albarum in dorso notato, quarum antica oblonga et inæqualis est et reliquis major, utrinque vero et in lateribus maculis parvis inæqualibus albis consperso, setisque fortibus pallidis et ad partem nigris præsertim in tuberculis dorsualibus sparso; vulva e tuberculo longo et forti, versus apicem angustato, fere ovato-conico constante. — ♀ *ad.* Long. circa 7 millim.

Long. cephaloth. $3^1/_2$, lat. ej. pæne 2; lg. abd. $3^1/_2$, lat. ej. $2^1/_3$ millim. Ped. I 21, II pæne 15, III $9^1/_2$, IV 11 millim. longi.

Feminam singulam vidi, a Sjöstedt in Camerun captam.

Fam. **Araneidæ** (= **Epeiridæ**. Thor., olim).

Gen. **Callinethis** Thor., 1890.

33. **C. apicata,** n., cephalothorace fusco-testaceo, margine laterali infuscato; sterno et labio nigro-fuscis vel nigris, mandibulis apice sat late fuscis, præterea fusco-testaceis, duplo longioribus quam latioribus, sulco unguiculari antice dentibus 3 fortibus, postice 4 dentibus armato; pedibus fusco- vel rufescenti-testaceis, femoribus, patellis, tibiis et metatarsis apice sat late nigris; aculeis nonnullis debilioribus armatis et pilis brevioribus æqualiter et minus dense vestitis; abdomine maculis cinereo- vel subargenteo-albicantibus in dorso sub-tessellato, basi maculis duabus nigris divaricantibus ornato et apice postice in conum nigrum retro et paullo sursum directum producto; ventre ad maximam partem nigro et lineis duabus longitudinalibus sub-incurvis pallidis in medio notato, posterius vero maculis tum nigris quum pallidis variato. — ♀ *ad.* Long. saltem $6^1/_2$ millim.

Intervallum inter *oculos* medios posticos et laterales posticos latitudine postica areæ oculorum mediorum modo dimidio majus est. *Abdomen* non parum longius quam latius, antice obtusum et supra cephalothoracem paullo productum, posteriora versus paullo dilatatum, postice in medio, superius, in procursum breviorem conicum crassum retro et paullo sursum directum productum. Ad basin dorsum abdominis duas maculas nigras sat magnas, anteriora versus paullo divaricantes ostendit, et inter eas et conum apicalem nigrum dorsum cinereo- vel argenteo-albicans est, hac area albicanti in 4 series longitudinales macularum divisa, quæ aliis maculis vel ramulis nigris plus minus inter se separatæ sunt. Venter ad maximam partem niger secundum medium lineas vel vittas duas longitudinales sub-incurvas pallidas ostendit, et utrinque versus et pone mamillas nigro- et pallido-maculatus est. *Vulva* ex tuberculis duobus rotundatis nigro-fuscis constat, quæ postice in depressione fusca, transversa, antice fortius, postice levius rotundata locum tenent, et spatio eorum diametrum æquante separata sunt. In femoribus 4:i paris. extus, antice, vestigia serici tuberculorum minutissimorum video, quæ haud dubie *cilia* gesserunt. — Lg. cephaloth. $2^1/_2$, lat. ej. 2 millim.; lg. abd. $4^1/_2$, lat. ej. $3^1/_4$ millim.

C. tessellatæ, Thor.[1] hæc species sat similis est, sed tibiis 4:i paris æqualiter et breviter pilosis, et abdomine supra cephalothoracem minus elevato et postice in conum nigrum evidentissime producto diversa.

[1] Primo saggio sui Ragni Birmani, p. 135.

Feminam singulam adultam (cum abdomine alterius feminæ) in Camerun a SJÖSTEDT captam ante oculos habeo.

Gen. **Argyroepeira** EMERT., 1884.

34. **A. Celebesiana** (WALCK.).

Tetragnatha Celebesiana WALCK., H. N. d. Ins. Apt. II, p. 222.

Feminas duas hujus speciei, cum exemplis Birmanicis plane convenientes, in Camerun cepit SJÖSTEDT. — *A. celebesiana* multis locis Austro- et Indo-malesiæ, Novæ Hollandiæ, Indiæ, Birmaniæ, Chinæ, cet., inventa est. Alia synonyma ejus vid. in THORELL, Primo saggio sui Ragni Birmani, p. 138.

35. **A. ungulata** (KARSCH) 1879,[1] cephalothorace sub-testaceo, area oculorum mediorum paullulo angustiore antice quam postice; mandibulis satis fortibus et convexis, duplo longioribus quam latioribus, testaceis vel fusco-testaceis, sulco unguiculari antice 3, postice 4 dentibus armato, pedibus longitudine mediocri, testaceis, femoribus et patellis apice angustissime, internodiis insequentibus apice minus anguste, nigris; abdomine longiore, anguste ovato, antice et postice æquliter rotundato, supra pallide argenteo (vel sub-aureo), lineis tribus longitudinalibus nigris vel sub-aureis rectis plus minus distinctis secundum totam longitudinem signato, quarum exteriores prope apicem posticum maculis binis parvis nigris notatæ sunt, spatiis argenteis inter eas lineis brevibus obliquis obscurioribus vel pallidis sæpe in partes quasdam breves divisis; dorso in declivitate antica punctis vel maculis minutis duabus nigricantibus notato, utroque latere abdominis linea longitudinali paullo curvata sub-argentea vel aurea notato; ventre ante fissuram genitalem et mamillas area oblonga sub-aureo-punctata occupato, quæ lineis duabus pallidis includitur; vulva ex fovea in medio satis profunda (utrinque minus profunda, antice rotundata) constat, quæ in fundo septum angustum longitudinale ostendit. — ♀ *ad.* Long. circa 7—8 millim.

Gracilior et minor, oculis mediis in quadratum dispositis, pedibus longioribus; mandibulis versus medium lateris

[1] *Meta ungulata*, KARSCH, West-afrikanishe Myriopoden und Arachniden, *cet.*, *in* Zeitschr. f. d. ges. Naturwiss. LII, 1879, p. 834, Pl. XI, fig. 5.

exterioris dente brevi præditis, ungui mandibularum ad basin dente lato forti porrecto armato, sulco unguiculari in margine antico dentibus 4, in postico margine 4 dentibus (quorum tamen 1:mus sive extimus fortis est et denti unguis mandibulæ oblique oppositus) quoque prædito; palpi longitudinis mediocris, graciles, parte patellari parum longiore quam latiore, parte tibiali eâ plus duplo longiore, a basi ad apicem sensim paullo incrassata, apice paullo plus duplo crassiore quam basi; clava parte tibiali non parum longiore et duplo latiore, clava oblonga, bulbo ferrugineo, in apice ungui longo porrecto, nigro, apice deorsum curvato armato. Præterea ut in femina est dictum. — ♂ *ad.* Long. $3^1/_2$—6 millim.

Magnam vim exemplorum, feminarum præsertim, in Camerun (ex. gr. ad Kitta) collegit Sjöstedt. De exemplis nonnullis ad Kitta captis hanc adnotationem invenio: »Vivunt in terra, inter gramina.» — *A. Celebesiana* (Walck.) hæc species, præsertim exempla ejus distinctius picta, simillima quidem est; sed *femina* semper abdomine postice ut antice æqualiter rotundato (non postice supra mamillas producto, nec tuberculis binis basalibus prædito) et maculis 4 parvis nigris postice in dorso signato, maculisque duabus minutis nigris in declivitate ejus antica, distinguenda est. *Mas* præterea forma et armatura peculiari mandibularum et forma palporum sine negotio agnosci potest.

36. **A. analis,** n., cephalothorace, mandibulis et sterno rufo-testaceis, pedibus fusco- vel rufescenti-testaceis, saltem femoribus et tibiis plus minus evidenter apice infuscatis; oculis sat magnis, mediis in quadratum dispositis, lateralibus binis inter se contingentibus et vix majore spatio a mediis posticis remotis quam quo hi inter se distant; sulco mandibularum unguiculari antice 3, postice 4 dentibus armato, abdomine non parum longiore quam latiore, postice oblique et sat late truncato, supra subluteo vel testaceo (?), anterius in dorso maculis parvis nigricantibus 4 in trapezium sat magnum et paullo latius postice quam antice notato, et macula sat magna paullo transversa et sub-quadrangula nigra apicem dorsi occupante ornato; declivitate postica ea quoque macula majore nigricante occupata; ventre obscuriore, nigricanti-

luteo, nigricanti-marginato et fasciis duabus longitudinalibus pallidioribus ad margines notato; vulva tuberculum nigro-fuscum transversum convexum formante, quod impressionem minus profundam, antice rotundatam, in fundo inæqualem formare videtur. — ♀ *ad.* Long. 5½ millim.

Exemplum singulum femineum sat male conservatum vidi, a SJÖSTEDT in Camerun captum.

37. **A. margaritata,** n.. cephalothorace cum partibus oris testaceo; pedibus testaceis, mediocribus, aculeis paucioribus armatis, femoribus, patellis, tibiis, metatarsis et tarsis apice plus minus distincte infuscatis; abdomine oblongius ovato, non parum longiore quam latiore, antice et in lateribus rotundato, apice dorsi postico conum brevem obtusum retro directum formante, abdomine pone hunc conum directo et truncato; dorso abdominis corona inæquali macularum paucarum magnarum argentearum (vel fascia argentea utrinque abrupta) cincto, et utrinque anterius, inter has maculas, maculis 2 rotundis nigris signato; postice in dorso, in spatio inter maculas illas argenteas interjecto, maculis 4 sub-obliquis argenteis notato, apice (cono) dorsi nigricante; ventre sub-testaceo, 2 vel 3 fascias longitudinales sub-luteas exhibente, et, magis supra et postice, maculas paucas pallidas. — ♀ *ad.* Long. circa 5 millim.

Long. cephalothoracis parum plus 2 millim., pedes 1:i paris 12 millim. longi. Series oculorum antica modice recurva est, series postica modice procurva. Oculi medii antici, mediis posticis paullo majores, cum iis aream pæne quadratam, postice paullulo latiorem quam antice formant; oculi bini laterales, inter se contingentes, a mediis anticis modo paullo longius quam hi inter se remoti sunt.

Feminam singulam adultam hujus araneæ in Camerun invenit SJÖSTEDT. — Species insequens, *A. albo-maculata*, *fortasse* mas *ad.* est speciei hic descriptæ!

38. **A. albo-maculata,** n., cephalothorace obscure testaceo-fusco, sterno fusco, maxillis et labio nigro-fuscis; mandibulis rufo-fuscis, summo apice nigro, duplo longioribus quam latioribus; palpis flavo-testaceis, longissimis et, clava nigro-fusca excepta, gracillimis; pedibus longis, fusco-testaceis; abdomine anguste ovato, dorso pallido cinera-

scenti, maculis nonnullis inæqualibus albis in marginibus et utrinque secundum medium sparso, apice dorsi sat late nigro, ventre paullo nigricanti-maculato quoque. — ♂ *ad.* Long. 4 millim.

Oculorum area totam latitudinem frontis occupat; series oculorum antica parum recurva est, pæne recta; series postica modice procurva; oculi medii in quadratum dispositi sunt, laterales bini inter se contingentes et a mediis anticis paullo longius quam hi inter se remoti. Pars *palporum* trochanteralis 5—6:plo longior est quam latior, modice incurva, pars femoralis hac parte circa 4:plo longior, reliquum palpi longitudine paullo superans, pars patellaris vix duplo longior quam latior; pars tibialis circa 4:plo longior quam latior, a basi ad apicem sensim paullo inerassata, ut pars femoralis recta; clava pæne globosa, subter minus quam supra convexa, parte tarsali nitidissima, bulbo oblongo, apice in procursum brevem, qui apice hamulo parvo sursum curvato instructus videtur, excurrente; femora 4:i paris paullo incurva et in latere exteriore serie tuberculorum minutissimorum prædita, quibus sine dubio *cilia* institerunt.

Marem singulum male conservatum vidi, a Sjöstedt in Camerum captum.

Gen. **Tylorida,** Sim., 1894.

39. **T. seriata,** n., cephalothorace testaceo, margine laterali anguste nigro, et parte cephalica lineis duabus longitudinalibus sub-fuscis notata, quæ in foveam thoracicam profundam et nigricantem coëunt; sterno fusco, in medio nigricante; partibus oris testaceis, palpis pallidius testaceis; pedibus testaceis, femoribus ad apicem subter anguste nigris, patellis quoque apice anguste nigris, tibiis apice et metatarsis basi et apice nigris, femoribus et tibiis præterea maculis nigerrimis sparsis, quibus aculei nigri sat longi insistunt; abdomine ovato, dorso anterius in tubercula duo obtusa, humilia et impressione media separata elevato, cinerascenti et maculis parvis albidis vel argenteis plus minus densis consperso, quæ saltem ad partem in lineas versus tubercula dorsi directas ordinatæ sunt; præterea dorsum pone tubercula series duas longitudinales lineolarum parvarum sub-obliquarum nigrarum ostendit, quæ series, posteriora versus sensim inter se appropinquantes, mox supra anum unitæ sunt; ventre ad basin macula fusca notato, et paullulo ante mamillas macula majore nigerrima. — Long. c:a 5—6 millim.

Altitudo clypei duplam diametrum oculorum anticorum mediorum æquat. Series oculorum antica modice sursum curvata est, series postica modice deorsum curvata. Oculi laterales antici vix longius a mediis anticis quam hi inter se distant. Area mediorum vix latior est postice quam antice. Femora 4:i paris in latere exteriore, ad basin, series duas breves tuberculorum minutissimorum ostendunt, quibus veri similiter ordines duo ciliorum insisterunt.

Exempla nonnulla, præsertim feminea, hujus speciei a SJÖSTEDT in Camerun collecta sunt.

Gen. **Nephilengys**, L. KOCH, 1872.

40. **N. cruentata** (FABR.) 1793.

Aranea cruentata, FABR., Entom. System. II, p. 427 (1793). — *Epeira diadela*, WALCK., H. N. d. Ins. Apt., II, p. 54, 1837. — *Nephilengys cruentata*, SIM., Arachn. recueillis à Assinie (Afrique occid.) in Ann. de la Soc. Entom. de France, 1887, p. 271.

Exempla non pauca feminea adulta hujus speciei, sive *Epeiræ diadelæ*, *E. brasiliensis* et *E. Azzaræ*, WALCK., quam sub nomine *Nephilæ genualis* descripsit GERSTAECKER, sub nomine *Nephilengyis Borbonicæ* vero KARSCH (*non* = *Ep. Borbonica*, VINS.!), et quæ tum Africæ quum Americæ meridionalis incola est, in Camerun collegit SJÖSTEDT. Alia femina adulta ab eodem missa »Bibundi, JUNGNER» signata est.

Gen. **Nephila** (LEACH) 1815.

41. **N. Lucasii,** SIM., 1887.[1]

(= *Epeira chrysogaster*, LUC., et *Nephila maculata*, KARSCH, sed neque *Aranea maculata*, FABR., neque *Epeira chrysogaster*, WALCK.)

Feminas duas adultas aliasque feminas nonnullas juniores ante oculos habeo, a SJÖSTEDT in Camerun collectas.

42. **N. femoralis** (LUC.), 1858.[2]

Feminas nonnullas adultas a SJÖSTEDT in Camerun collectas pulcherrimæ hujus speciei inspexi; alia femina ab eodem communicata »W. C. of Africa, Victoria» signata est.

[1] Études arachnol. XXVII. Arachn. recueillis à Assanie, *cet.*, in Ann. de la Soc. Entom. de France, 1887, p. 270.

[2] *Epeira femoralis*, LUC., Voyage au Gabon. Descr. d. Arachn. et d. Myriap. qui habitent le Gabon, in Archives de J. THOMSON, II, p. 38, Pl. 12, fig. 4, 4 *a*, 4 *b*. 1858.

43. **N. pilipes** (Luc.), 1858.[1]

Sat multæ feminæ adultæ et nonnullæ juniores in Camerun (ad Bonge, cet.) a Sjöstedt inventæ sunt.

44. **N.** (?) **baculigera,** n., cephalothorace sulco centrali distinctissimo postice prædito, ferrugineo, pube tenui cinerascenti ad magnam partem vestito, parte thoracica utrinque posterius fusca; sterno fusco, vitta longitudinali pallida posteriora versus sensim angustata notato; pedibus sub-fusco-testaceis, metatarsis et tarsis præsertim gracillimis, aculeis longis nigris præsertim in femoribus, patellis et tibiis armatis, metatarsis quoque aculeo uno alterove breviore præditis; abdomine circa duplo et dimidio longiore quam latiore, cylindrato, antice et postice rotundato, toto dorso cute paullo duriore rufescenti, pube tenui pallida vestita tecto et fasciis duabus longitudinalibus parallelis obscurioribus (parum distinctis) prædito, quæ punctis vel maculis parvis binis anterius in dorso notatæ sunt; ventre scutis duobus ejusmodi duriusculis prædito, quorum anterius scuta pulmonalia tegit, alterum posterius, paullo brevius et sulco medio transverso bipartitum est; cutis utrinque inter scutum dorsuale et scuta ventralia mollis est et maculis duabus nigris in utroque latere notata; palpi sat breves et, clava crassissima excepta, sat graciles sunt, parte femorali circa triplo longiore quam latiore, parte patellari vix longiore quam latiore, parte tibiali ea quoque brevissima, subcampanulata et, ut partes præcedentes, pallida; clava maxima, nigra, pæne globosa vel quasi ex duobus hemisphæriis conflata, quorum exterius e parte palpi tarsali constat, interius e bulbo genitali lævissimo et nigerrimo, qui ex latere interiore baculum fortem, compressum, basi sat latum, totius bulbi latitudinem longitudine fere æquantem, paullo sursum et foras curvatum, apicem versus paullo incrassatum et ipso apice paullo oblique et inæqualiter truncatum, emittit, hoc baculo exterius nigro, in medio lateris interioris pallido. — ♂ *ad.* Long. pæne 5½ millim.

[1] *Epeira pilipes*, Luc., ibid., p. 40, Pl. 13, fig. 7, 7 *a*, 7 *b*. 1858.

Clypeus diametrum oculi medii antici altitudine æquat. Series *oculorum* antica modice sursum curvata est, series postica, ea longior, modice est recurva. Oculi medii in quadratum, vel potius in trapezium postice paullulo latius quam antice dispositi sunt, medii antici reliquis oculis paullo majores, laterales bini contingentes inter se: laterales antici vix longius a mediis anticis (qui spatio diametro sua paullo majore separati sunt) quam hi inter se distant. *Sternum* sub-triangulum, antice late truncatum, postice inter coxas 4:i paris anguste productum. *Mandibulæ* directæ, a basi ad apicem sensim paullo angustatæ, in dorso parum convexæ, sulco unguiculari ut videtur antice modo dente singulo, postice 2 dentibus armato. *Maxillæ* labio pæne duplo longiores, basi late sub-fuscæ, apice pallidæ; *labium* parum longius quam latius, basi sub-fuscum, apice brevius acuminatum et pallidum. — Lg. cephaloth. 2 1/2, lat. ej. c:a 1 1/2, lg. abd. pæne 3, lat. ej. 1 1/2 millim. Ped. I 17, II 12, III 5, IV 8 1/2 millim. longi.

Mares duos adultos vidi, a Sjöstedt in Camerun captos.

45. **N.** (?) **dolabella,** n., cephalothorace pallidius testaceo, parte thoracica utrinque sub-fusca, oculis lateralibus anticis spatio evidenter paullo minore a mediis anticis — qui reliquis oculis non parum sunt majores et spatio diametro sua non parum majore separati — quam hi inter se remotis, pedibus pallide testaceis, femoribus et patellis apice angustissime nigris, nigro-aculeatis, metatarsis vero anticis vix aculeatis; abdomine supra pallide fusco, ventre obscurius fusco; palpis ut in specie priore est dictum, excepto quod baculum illud, quod e latere interiore bulbi exit deorsum et retro directum paullo longius est quam in ea et apice fortius, quasi in lamellam compressam nigram sive dolabram parvam dilatatum, et ipso apice in spinam acuminatam retro fractam et directam productum. — ♂ *ad.* Long. corp. pæne 5 1/4 millim.; long. cephaloth. 2 1/4, lg. abd. pæne 3 millim.; ped. I ?, II 10, III 4 1 3, IV 8 1/2 millim. longi.

Mas singulus, is quoque a Sjöstedt in Camerun captus, mihi innotuit.

Mares duos, quos supra nominibus *N.*(?) *baculigeræ* et *N.*(?) *dolabellæ* descripsi, sine dubio generis *Nephilæ* vel *Nephilengyis* sunt, sed nescio, ad quas species sint referendæ: alter eorum, *N. baculigera*, fortasse mas est *Nephilengyis cruentatæ*, alter mas *Nephilæ pilipedis*. Sed de hac re nihil pro certo dicere possum, et hos mares cum illis feminis Camerunensibus, quarum exempla *plurima* vidi, potissimum esse conjungendos modo suspicatus sum!

Gen. **Argiope**, Sav., 1827.

46. **A. trifasciata** (Forsk.), 1775 (*Aranea trifasciata* Forsk. 1775).

Feminas duas adultas *A. trifasciatæ* domum reportavit Sjöstedt. — De multis partibus orbis terrarum, ubi inventa fuit hæc species, per magnam partem Africæ, cet., diffusæ, et de nominibus quibus descripta fuit, conf. Simon, H. N. d. araignées, 2e Ed. I, p. 769.

Quum marem (singulum), qui vix nisi hujus speciei esse potest, inter araneas a Sjöstedt in Camerun captas inveni, descriptionem ejus brevem hic dabo; (forma cephalothoracis, partes oris et oculi ut in reliquis hujus generis formis sunt):

A. trifasciata (Forsk.) ♂? cephalothorace luteo-testaceo, sterno nigricanti, partibus oris pallide flavo-testaceis; palpis brevibus, gracilibus et pallidis, clava magna, transversa, ad maximam partem fusca vel nigricante excepta, clava ad basin supra hamulo forti, foras curvato, apice obtuso prædita, subter vero, extus, procursu obscuro forti acuminato vel quasi ungue, qui versus procursum breviorem sub-incurvum subter fere in medio bulbi positum et in pilum gracilem exeuntem curvatus est; pedibus aculeis gracilibus nigris conspersis, coxis pallidis (1:i paris macula parva nigra subter notatis); femoribus, patellis et tibiis testaceis vel fusco-testaceis, maculis parvis densis nigris variatis, femoribus 1:i et 4:i parium antice vel subter infuscatis, metatarsis et tarsis ad maximam partem pallidis; abdomine oblongo-ovato, supra virescenti-testaceo, et macula oblonga media longitudinali postice angustata et ad medium dorsi pertinenti, albicanti-testacea (cordiformi) notato, quæ macula utrinque et antice maculis paucis parvis albicantibus inclusa et quasi marginata est, dorso posterius punctis minutis nigris sat dense consperso; ventre secundum medium nigricante et hic, posterius, lineis nonnullis brevibus transversis notato, utrinque vero, superius, nigro-punctulato. — ♂ *ad.* Long. circa $3^3/_4$ millim. Ped. I saltem $7^2/_3$, II pæne 8, III c:a $4^1/_2$, IV 6 millim. longi.

47. **A. flavipalpis** (Luc.) 1858 (*Epeira flavipalpis*) (id.[1]).

Multas feminas adultas et juniores (maremque [ejusdem speciei?] singulum) ad N'dian, cet., a Sjöstedt collectas ante oculos habeo. — Pedes qui in feminis plerumque testacei vel rufescentes et nigro-annulati sunt, interdum toti sunt nigri.

Marem adultum, qui hujus speciei esse potest, sed qui adeo male est conservatus, ut describi non possit, in collectione a Sjöstedt ex Camerun domum reportata invenio, de quo exemplo hæc pauca annotavi:

A. flavipalpis Luc. ♂ (?), cephalothorace, sterno, partibus oris et pedibus ad maximam partem piceis vel nigris, tibiis 1:i paris crassissimis et dense nigro-aculeatis, reliquis tibiis plus minus incrassatis, metatarsis vero et tarsis gracillimis et ad maximam partem pallidis; abdomine nigro vel nigricante, vestigiis tuberculorum duorum humeralium et lineæ albicantis procurvæ inter eas extensæ. — ♂ *ad.* Long. circa 4½ millim.

Gen. **Psyllo,**[2] n.

Cephalothorax oblongus, inverse ovatus, postice altus, anteriora versus sensim humilior, sulco ordinario longe retro locato, præterea æqualis; parte cephalica satis angusta, clypeo humillimo.

Sternum vix longius quam latius, sub-triangulum, antice latum, postice breviter acuminatum, vix inter coxas 4:i paris, quæ non evidenter disjunctæ sunt, productum.

Mandibulæ directæ, basi satis convexæ, saltem duplo longiores quam latiores basi, sulco unguiculari saltem in margine antico 3 dentibus armato.

Maxillæ paullo longiores quam latiores, porrectæ et parallelæ, apice late truncatæ, angulo exteriore rotundato.

Labium dimidiam longitudinem maxillarum non æquans, transversum, apice late rotundatum.

Pedes sat breves et graciles, aculeati, ita: I, II (II, I?) IV, III longitudine se excipientes.

---

[1] *Epeira flavipalpis*, Luc. Voyage au Gabon. Descr. d. Arachn. et Myriap. qui habitent le Gabon (Arch. Entomol. de J. Thomson, II), p. 47; *E.* (*Argiope*) *flavipalpis* De Brito Capello, Espec. novas ou poco conhecidas d'arachnidios d'Africa occidental, *in* Jorn. de Sciencias mathem., *cet.*, No. 1 (1866), p. 83, tab. II, fig. 2.

[2] *Ψυλλώ*, nom. propr. græc., fem. gen.

Abdomen longius ovatum, præsertim antice anguste rotundatum, scuto duriore saltem supra (undique?) tectum, petiolo longe retro, in medio ventris, cephalothoraci affixum.

Typus: *Psyllo nitida*, n.

Hoc genus, quod ut *Larinia*, Sim., *Mangorearum*, Sim., certe est, scuto duriusculo nitido, quo tectum est abdomen, præsertim distingui potest.

48. **P. nitida**, n., cephalothorace testaceo, anteriora versus sensim angustato et humili, postice altissimo et truncato, fronte vix dimidiam partem cephalicam latitudine æquante; oculis anticis in seriem recurvam ordinatis, posticis in seriem procurvam (vel, desuper visis, pæne rectam); oculis mediis anticis, qui reliquis oculis non parum majores sunt, cum mediis posticis aream postice evidenter latiorem quam antice formantibus, oculis lateralibus binis inter se contingentibus, lateralibus anticis paullo longius a mediis anticis, qui spatio diametrum suam vix vel non æquante separati sunt, remotis; palpis et pedibus basi pallide testaceis, versus apicem paullo infuscatis; pedibus testaceis, apicem versus infuscatis, aculeis nonnullis mediocribus nigris armatis, saltem tibiis apice anguste nigricantibus vel nigris; abdomine paullo deorsum curvato, pæne duplo longiore quam latiore, oblongius ovato, antice angustius quam postice rotundato, cute duriore tecto, nitido, in dorso anterius cinerascenti et utrinque fascia lata marginali albida cincto, his vittis antice inter se unitis, et inter se maculas rotundatas fuscas 6 (1 + 3 + 2) — quasi ocellos — includentibus, dorso paullo pone eas 2 maculis majoribus albis notato; in dorso posterius abdomen cinereo-nigricans est, et maculas paucissimas minores albas in medio ostendit, et unam sat magnam transversam et obliquam in utroque latere postico. Latera abdominis posterius nigricantia sunt, venter albicans macula sat parva nigro-fusca (vulva) in medio, mamillæ testaceæ. Petiolo longe retro cephalothoraci affixum abdomen partem ejus posticam tegit. — Lg. corp. 3 millim., lg. cephaloth. $1^1/_2$, lg. abd. pæne 3 millim.; ped. I et II circa $4^1/_2$ millim. longi.

Femina singula adulta in Camerun a Sjöstedt detecta est.

Gen. **Larinia,** Sim., 1874.

49. **L. fasciata,** n., cephalothorace saltem duplo longiore quam latiore, luteo-testaceo, posterius elevato-convexo, sulco medio ordinario forti et infuscato; oculis anticis in seriem paullo sursum curvatam ordinatis, oculis posticis desuper visis seriem paullo recurvam formantibus, oculis mediis aream duplo latiorem antice quam postice occupantibus, mediis anticis spatio diametro sua paullo majore separatis, lateralibus anticis vix majore spatio a mediis anticis quam hi inter se remotis; pedibus testaceis cum cephalothorace et abdomine crassius testaceo-pilosis et setosis, et aculeis basi nigris apice testaceis armatis; abdomine saltem triplo longiore quam latiore, forma in hoc genere ordinaria, pube brevi et setis longis testaceis vestito, et fascia media per totam longitudinem dorsi ducta, lutea sive pulchre vitellina et linea media paullo inæquali pallida geminata ornato, hac fascia fere $^1/_4$ latitudinis dorsi occupante; vulva aream parvam transversam fuscam occupante, quæ in medio »scapum» brevem latum obtusum pallidum, »corpore» vulvæ modo paullo longiorem sed non parum angustiorem ostendit. — ♀ *ad.* Long. corp. c:a $6^1/_2$ millim.; lg. cephaloth. $2^1/_2$, lg. abd. circa 5 millim.; long. ped. I 11, II $10^1/_2$, III 6, IV circa $10^3/_4$ millim.

Feminam singulam in collectione a Sjöstedt communicatam reperi.

Gen. **Prasonica,** Sim., 1895.

50. **P. hamata.** n., cephalothorace testaceo, anteriora versus sat fortiter angustato, fovea centrali forti, fronte angusta; clypeo humillimo, altitudine dimidiam diametrum oculi medii antici vix æquante; sterno nigro, macula media oblonga pallida; mandibulis sub-testaceis, in medio macula nigricante notatis; maxillis et labio nigris, illis intus pallidis, hoc apice pallido; pedibus testaceis vel pallide virentibus, maculis parvis nigris conspersis, aculeis longioribus sat multis armatis et præsertim versus apicem densius nigro-annulatis; metatarsis tibias longitudine paullo superantibus; palpis colore pedum, abdomine duplo longiore quam latiore, antice et postice angustius rotun-

dato, supra sub-olivaceo, fasciis duabus longitudinalibus sub-undulatis pallidioribus posteriora versus inter se paullo appropinquantibus ornato, quæ anterius, in dimidio anteriore spatii interjecti, lineas 4 longitudinales (quasi duas lineas in medio interruptas), apice postico foras curvatas sive hamiformes, inter se proximas includunt; in utroque latere abdomen lineolis 3 vel 4 deorsum et paullo retro directis notatum est, et venter fasciam latam pallidam utrinque fascia nigra inclusam et maculas paucas pallidas in medio ostendit, in utroque latere vero aliam fasciam obliquam pallidam (vel duplam ejusmodi fasciam) in utroque latere. Mamillæ anteriores nigræ, posteriores testaceæ. Vulva ex corpore sub-compresso, pæne cylindrato, apice truncato, (scapo carente) constat, quod postice vel subter sulcis duobus longitudinalibus in tres partes, mediam (posticam) sub-testaceam, reliquas duas nigras, divisum videtur. — ♀ *ad.* Long. circa 8 millim.

Series oculorum antica a fronte visa recta est, desuper visa valde recurva, series postica desuper visa parum recurva, pæne recta; oculi medii antici reliquis oculis parum majores sunt. Oculi medii quadrangulum longiorem quam latiorem et paullo latiorem antice quam postice formant. Oculi laterales bini inter se contingentes sunt, laterales antici non longius a mediis anticis quam hi inter se separati. — Lg. cephaloth. 3, lat. ej. $2^1/_4$ millim.; lg. abd. 7, lat. ej. $3^1/_2$ millim.; ped. I 11, II 10, III 7, IV circa 10 millim. longi.

Feminas duas adultas, quarum alteram ad Kitta invenit, ex Camerun domum reportavit SJÖSTEDT.

Quum metatarsos tibiis longiores habeat, et oculi ejus quoque ut in gen. *Prasonica*, SIM., dispositi videntur, hanc araneam generi illi et turmæ *Mangorearum*, SIM., subjungendam credidi.

Gen. **Cyrtophora,** SIM., 1868.

51. **C. citricola,** FORSK., 1775.

Exempla nonnulla feminea ad Bonge in Camerun inventa sunt. — Ad synonyma, quæ hujus speciei in Descr. Catal. of the Spiders of Burma, cet., p. 172 dedimus, addenda sunt: *Epeira Angolensis*, DE BRITO CAP., et *E. Chinchonensis*, KARSCH (sec. SIMON).

52. **C. gemmosa,** n., cephalothorace luteo, lævi, pilis albicantibus sparso; altitudine clypei pæne duplam oculi medii antici diametrum æquante; oculis anticis in seriem leviter sursum curvatam dispositis, oculis posticis in seriem sat leviter recurvam, oculis mediis sub-æqualibus aream evidenter latiorem antice quam postice occupantibus, mediis anticis mediis posticis paullo majoribus, spatio eorum diametrum duplam pæne æquante separatis, lateralibus binis spatio eorum diametrum æquante separatis, lateralibus anticis spatio paullo majore a mediis anticis remotis quum quo distant hi inter se; sterno obscure luteo, tuberculis saltem ad coxas posteriores (et tuberculo fortiori inter coxas 4:i paris) prædito; pedibus obtusis, sat brevibus, pube tenui albicante et setis pallidis (ipsa basi tamen nigris) sat dense conspersis et plus minus evidenter fusco-annulatis; abdomine deplanato, antice fere late truncato vel modo leviter rotundato, utrinque anterius leviter, posterius fortius rotundato et posteriora versus sensim angustato, humeris non prominulis, obscure luteo, toto dorso pustulis clarioribus nitidis æqualibus et modice convexis sat dense sparso, declivitate abdominis antica pilis longioribus pallidis conspersa sed pustulis carente, summo apice dorsi sub-obtuso, in medio paullulo impresso (sive levissime et vix evidenter bifido), apice abdominis a latere viso oblique truncato et paullo retro supra mamillas producto; ventre obscure luteo, macula oblonga incurva testacea utrinque; vulva e carina transversa nitida nigra constante, quæ ab ano visa tubercula duo rotunda inæqualia tegere videtur. — Long. corp. 12½, lg. cephaloth. 5½, lat. ej. pæne 5; lg. abd. 9, lat. ej. pæne 6½ millim. Ped. I pæne 17, II 15, III 10, IV 14 millim. longi.

Feminas duas adultas in Camerun invenit Sjöstedt.

Gen. **Acusilas,** Sim., 1895.

53. **A. Africanus,** Sim., 1895.[1]

Etiam hujus speciei exempla nonnulla feminea vidi, a Sjöstedt in Camerun collecta.

[1] H. N. des Araignées, 2de Ed., I, p. 785.

Gen. **Aranea** (Linn.), 1735 (= *Epeira* (Walck.).

54. **A. basilissa,** n., cephalothorace nigro-fusco, cum abdomine tuberculis minutis obtusis nigris consperso; pedibus nigris, cum coxis et sterno præsertim subter luteo- vel miniaceo-pubescentibus, metatarsis versus basin annulo lato albo cinctis, et tibiis quoque ad basin plus minus albo-pubescentibus; abdomine subtriangulo-ovato, paullo longiore quam latiore, humeris elevato-acuminatis, et præterea, in utroque latere, superius, tuberculis duobus humilibus, conicis, sat longe pone humeros et inter se remotos armato, et apice postico in tuberculum quartum non parum supra mamillas situm exeunte, et denique in tuberculum humillimum paullo ante id elevato: ad colorem rufescenti-fusco, vitta transversa haud lata parum procurva flava inter humeros extensa ornato, et subter pube lutea vestito, quæ vittam latam transversam format, vittas duas valde obliquas utrinque pone eam, fasciam vero latam longitudinalem in medio ventris, anterius, fasciamque angustam utrinque apud hanc fasciam. - - ♀ ad. Long. usque ad 23 millim.; lg. cephaloth. tum 7⅓ millim., lg. abd. 15, lat. ej. 12 millim.

Magnæ et eximiæ hujus speciei 4 specimina a Sjöstedt in Camerun capta lustravi. »Seriei 1:mæ» generis *Aranei*, Sim.,[1] est, ut quæ oculos laterales binos sub tuberculo conico (sat humili quidem) positas habeat, et seriem oculorum anticorum rectam vel leviter recurvam, oculos vero medios, quorum antici posticis multo majores sunt, in trapezium antice latius quam postice dispositos.

55. **A. bi-oculata,** n., cephalothorace nigro vel nigro-piceo, pube albicanti sparso, pone foveam centralem piceo; sterno cum partibus oris nigro, pedibus piceo-rubris, femoribus totis cum coxis nigris, patellis apice nigris, internodiis insequentibus apice late nigris et in medio annulo plus minus evidenti nigro cinctis; abdomine breviter subtriangulo-ovato, crasso, antice late rotundato, utrinque posterius sensim rotundato-angustato, supra cinereo-nigro, punctis 4 nigris trapezium antice angustius formantibus

[1] H. N. d. Araignées, 2de Edition, I, p. 800.

anterius impresso, et maculis duabus sat magnis rotundis nigris (quasi oculis) in medio dorso notato, quæ suum quodque punctorum illorum nigrorum in margine antico ostendunt; subter cum mamillis nigro; vulva nigro-picea, e »scapo» longo, retro directo, apice paullo sursum curvato, subter marginato et apice rotundato, et e »corpore» constante, qui scapus latitudine apicali »corporis» vulvæ circa triplo longior est, et basi retrofractus supra corpus vulvæ retro directus, hoc corpore piceo mox sub basi tuberculum nitidissimum piceo-rubrum formante, sub quo corpus vulvæ sulcos duos longitudinales inter se appropinquantes format. — ♀ *ad.* Long. c:a 24½ millim.

Oculi antici seriem rectam designant, oculi postici seriem paullo deorsum curvatam (desuper visi seriem paullo recurvam); oculi medii antici reliquis oculis multo (mediis posticis duplo) majores cum mediis posticis trapezium multo latius antice quam postice formant, laterales antici spatio parvo sed evidenti a lateralibus posticis separati et iis non parum majores, a mediis anticis circa duplo longius quam hi inter se separati sunt. Lg. cephaloth. 10, lat. ej. 9; lg. abd. 15, lat. ej. 14 millim.; ped. I 38, II 37, III 24, IV 35 millim. longi.

Singula femina magnæ hujus speciei in Camerun a Sjö-STEDT est inventa.

56. **A. septem-tuberculata,** n., cephalothorace rufescente, pube albicante sparso, parte thoracica utrinque sat late nigra et in colorem coeruleum exeunte; pedibus nigro-fuscis, aculeis sat brevibus nigris et cinerascentibus sparsis, femoribus anterioribus dense luteo-pubescentibus, femoribus posterioribus apice late nigris, basi late luteis et luteo-pubescentibus, tibiis et metatarsis pedum 6 anteriorum albicanti-maculatis et (anguste)-annulatis, metatarsis pedum 4:i paris præsertim annulo lato albicante cinctis; abdomine triangulo-ovato, deplanato, tuberculis 7 armato: humeris duobus in triangulum acuminatum foras et sursum directum elevatis, dorso linea pallido-cinerea inter apices horum tuberculorum extensam in aream ante-tubercularem nigricantem diviso, dorso pone hanc aream ad maximam partem cinereo, et in utroque margine binis tuberculis sub-conicis prædito et lineis duabus undulatis et posteriora versus inter se appropinquantibus notato et pube brevi sub-aurea dense sparso, abdomine utrinque pone duo posteriora horum tuberculorum nigro, apice dorsi acumi-

nato cinereo triangulum majus apice retro directo formante; ventre nigricanti- et luteo-variato, lineis duabus longitudinalibus luteis incurvis præsertim conspicuis.

Series *oculorum* antica leviter sursum curvata est, series postica leviter deorsum curvata (desuper visa leviter recurva); oculi medii, quorum antici posticis paullo majores sunt, cum iis trapezium antice non parum latius quam postice formant; oculi medii antici spatio eorum diametro evidenter majore separati sunt; laterales bini, contingentes inter se, a mediis anticis spatio circa dimidio majore distant quam quo hi inter se sunt separati. — Lg. corp. $12^1/_2$ millim.; lg. cephaloth. 6, lat. ej. pæne 5^1 2 millim.; lg. abd. 8, lat. ej. (inter humeros) 7 millim.; ped. I 19, II $18^1/_2$, III $11^1/_2$, IV 19 millim. longi.

Singula femina, nondum adulta, a Sjöstedt in Camerun inventa est.

57. **A. perforata**, n., cephalothorace fusco-testaceo, sulco centrali longo et forti; oculis mediis in trapezium duplo latius antice quam postice dispositis, clava palporum valde magna, bulbo præter procursus duos longos foras directos, quos subter ostendit, extus in procursum crassissimum nigrum dilatato, qui subito ad rectos angulos deorsum et dein sursum curvatus est, et foramen magnum ovatum apertum relinquit; coxis 1:i paris dente forti subter armatis, femoribus 1:i et 2:i parium serie aculeorum subter, tibiis 2:i paris incrassatis tribus ordinibus aculeorum fortium nigrorum intus armatis; abdomine ovato-triangulo, humeris in duo tubercula acuminata elevatis, area ante-humerali nigricanti linea transversa alba inter apices tuberculorum humeralium extensa a reliquo dorso cinerascente et lineis nonnullis transversis albicantibus notato separata. — ♂ *ad.* Long. corp. $10^1/_2$ millim.

Lg. cephaloth. $6^1/_4$, lat. ej. 5 millim.; lg. abd. 6, lat. ej. pæne 5 millim. Ped. I $20^1/_2$, II 19, III $12^1/_2$, IV $16^1/_2$ millim. longi.

Mas singulus adultus a Sjöstedt in Camerun est inventus. — Num mas præcedentis speciei, *E. septem-tuberculatæ*, est hæc aranea?

58. **A. crassicaudex**, n., cephalothorace ferrugineo, setulis nigris et pube albicanti consperso, fovea centrali profunda; pedibus rufo-ferrugineis, aculeis ad maximam partem nigris sat dense armatis et pilis albicantibus sparsis; abdomine triangulo-ovato, antice late rotundato, in tuber-

cula humeralia duo mediocria elevato, quæ ipso apice spinula sub-fusca cornea munita sunt, cinereo-testaceo sive sub-luteo, area ante-humerali transversa sub-fusca inter humeros extensa antice et postice minus evidenter albicanti-limbata notato, dorso præterea præsertim versus latera maculis parvis sub-testaceis sat dense consperso; vulva e tuberculo forti cylindrato (basi constricto) piceo constante, quod partem brevem sat latam retro directam (num basin »scapi» abrupti??) ostendit, ipso »corpore» vulvæ in margine superiore circulato-dilatato, crasso, et hic quasi linguam brevem apice rotundatam et supra ad longitudinem excavatam protrudente, sub qua tuberculum humile conspicitur, quod retro, inter margines vulvæ involutos, ut lamina angusta et versus apicem sulco medio excavata continuatur. — ♀ *ad.* Long. circa 13 millim.

Oculi antici in seriem modice sursum curvatam dispositi sunt; postici in seriem leviter deorsum curvatam (desuper visi seriem paullo recurvam formant hi oculi); oculi medii in trapezium pæne duplo latius antice quam postice sunt dispositi, antici posticis paullo majores; oculi laterales bini, tuberculo communi impositi, spatio minuto sed distincto sunt separati. Laterales antici a mediis anticis spatio vix dimidio majore distant quam quo hi inter se; medii antici spatio diametro sua pæne duplo majore separati sunt, medii antici spatio diametrum suam vix æquante sunt separati. — Lg. cephaloth. $5^1/_2$, lat. ej. $4^1/_2$ millim.; lg. abd. $10^1/_2$, lat. ej. 8 millim. Ped. I 21, II 19, III 15, IV 19 millim. longi.

Femina singula, quam vidi, a Sjöstedt in Camerun inventa est.

59. **A. sub-bituberculata.** n., cephalothorace utrinque in parte thoracica late et inæqualiter nigro, in medio cum parte cephalica sub-ferrugineo, pube crassiore pallida et sub-ferruginea vestito et paullo variato; sterno nigro, macula media oblonga flava; mandibulis nigris, clava palporum mediocri, rotundata, bulbo præter aliis procursibus brevibus in apice, extus versus basin aculeo paullo procurvo et sub-obtuso nigro prædito; femoribus in vel versus apicem late nigris et ad maximam partem nigro-aculeatis, patellis sub-fuscis, cum reliquis internodiis pallidis (metatarsis et tarsis præsertim apice late nigris) aculeis in medio pallidis, basi et apice nigris densius conspersis; abdomine ovato-triangulo, sub-depresso, supra flavo-testaceo (hac area flavo-testacea in utroque latere abdominis

crasse dentata), maculis parvis nigris sat dense sparsa, humeris paullo elevatis et nigricantibus, dorso in medio posterius macula magna nigricante sub-triangula utrinque crasse dentata et nigro-marginata occupato, margine dorsi antico sat late et inæqualiter nigricante et in medio macula majore nigra notato; abdomine subter nigro et maculis duabus rotundatis sat parvis flavis in medio signato; mamillis nigricantibus. — ♂ *ad.* Long. circa 5½ millim.

Clypeus cum oculis mediis anticis prominens, area oculorum mediorum proclivis, hæc area latior antice quam postice; oculi medii antici majores quam medii postici sunt, et spatio diametro sua evidenter majore separati; medii postici spatio diametrum suam modo æquante separati sunt. Oculi laterales bini inter se contingentes, laterales antici evidenter longius a mediis anticis quam hi inter se separati. Series oculorum antica sursum est curvata, series postica deorsum curvata (desuper visa recurva). Mandibulæ nigræ. Lg. cephaloth. 3, lat. ej. paullo plus 2 millim.; lg. et lat. abd. paullo plus 3 millim. Ped. I 10, II 9, III 5½, IV 7¾ millim. longi.

Mas singulus a SJÖSTEDT in Camerun captus est.

60. **A. sanguipes.** n., cephalothorace sub-testaceo- vel rubro-ferrugineo, pilis longioribus albis sub-villoso, linea media longitudinali obscuriore minus distincta in parte cephalica notato, fovea centrali forti et sub-transversa; sterno ferrugineo-fusco, mandibulis rubris, summo apice nigris; femoribus cum coxis et trochanteribus læte rubris, reliquis internodiis apicem versus minus læte rubris, metatarsis et tarsis apice sub-fuscis; abdomine rotundato-ovato, paullo longiore quam latiore, modice convexo, antice sat fortiter rotundato, humeris fortiter rotundatis, utrinque anterius paullo levius, posterius fortius rotundato et posteriora versus modice angustato, postice brevius rotundato; anterius in dorso foveis 2 parum profundis et pone eas 2 sat magnis et profundis, cum iis trapezium antice angustius formantibus impresso, pilis rarioribus brevibus sub-testaceis sparso et punctis densis et leviter impressis sub-coriaceo, toto sub-luteo vel lurido; ventre in medio sub-testaceo, macula inæquali obscura in medio inter vulvam et mamillas; mamillis rubro-fuscis; scapo vulvæ in nostro exemplo abrupto: sub basi nigra, transversim rugosa et retro directa basis ipsius corporis vulvæ

conspicitur, quæ utrinque fortiter rotundato-dilatata est et laminam (quasi linguam) retro directam continet, quæ lamina sursum (versus ventrem) producta et angustata hic formam cunei habet et impressione ∨-formi notata est. — ♀ *ad.* Long. circa 7½ millim.

Series *oculorum* antica leviter sursum curvata est, series postica modice deorsum curvata. Oculi medii, quorum antici posticis paullo majores sunt, in trapezium antice multo latius quam postice sunt dispositi; oculi laterales bini spatio minuto sunt sejuncti, laterales antici lateralibus posticis minutis circa duplo majores. Oculi medii antici spatio duplam suam diametrum pæne æquante separati sunt, medii postici spatio diametrum suam singulam non æquante separati. Laterales antici spatio circa dimidio majore a mediis anticis quam hi inter se distant. — Lg. cephaloth. 8½ millim., lat. ej. 6½, lat. frontis paullo plus 3 millim.; lg. abd. 12½, lat. ej. paullo plus 10 millim. Ped. I 28, II 26½, III 18½, IV 23½ millim. longi.

Exemplum singulum supra descriptum in Camerun invenit Sjöstedt.

61. **A. semi-annulata,** Karsch, 1879.[1]

Sat multa exempla feminea, adulta et præsertim juniora, et cum iis mascula paucissima adulta, ad Bonge, cet., in Camerun collegit Sjöstedt.

62. **A. varians,** n., cephalothorace plerumque subfusco-testaceo et albicanti-piloso, pedibus sæpe basi late nigro-fuscis, præterea pallidioribus; abdomine supra sæpissime pallide cinereo-testaceo vel -lurido, pilis crassis ad magnam partem pallidis minus dense sparso, dorso plus minus fusco- vel pallido-variato, ventre aut plaga media sub-lutea, aut maculis 4 vel (plerumque) 2 flavis notato; vulva ex corpore deorsum directo et fere in medio longitudinis, postice, tuberculo nitido, plerumque pallido, munito, et in scapum retro directum, circa triplo longiorem quam latiorem ad basin, lanceolatum, marginatum, apice sub-obtusum producto.

Oculi medii antici mediis posticis vix vel parum majores sunt, spatio diametrum suam æquante separati; medii postici spatio modo

[1] *Epeira semiannulata.* Karsch, Westafrikanische Arachniden, *cet.*, *in* Zeitschr. f. d. ges. Naturwissensch., LII, 1879, p. 334: — id., Simon, Arachnides recueillis à Khartum, *cet.*, *in* Bull. de la Soc. Zool. de France, IX, 1884, p. 14, Pl. I, fig. 7 et 8: — *Epeira penicillipes.* Karsch, Westafrikanische Myriop. u. Arachn., *in* Zeitschr. f. d. Ges. Naturw., LII, 1879, p. 836, fig. 6 (= ♂); — (?) *Epeira Kerstenii,* Gerst., in v. d. Deckens Reisen in Ost-Africa, III, 2 (1873) (= ♂).

dimidiam diametrum suam æquante sunt sejuncti. Oculi laterales antici duplo longius a mediis anticis quam hi inter se distant; bini laterales sub-contingentes sunt inter se, anterior eorum posteriore evidenter major.

Exemplum clarius et reliquis distinctius pictum hunc colorem ostendit: cephalothorax fusco-testaceus est, sat dense et crasse albo-pilosus, et maculas duas parvas nigras, unam utrinque, in parte cephalica ostendit. Sternum fuscum, macula oblonga flava notatum. Pedes fusco-testacei, femoribus duobus annulis latis nigricantibus, versus basin et apicem, cinctis, patellis et internodiis insequentibus annulo angustiore apicali præditis; aculeis sat densis nigris in medio pallidis armati sunt pedes, aculeis antice in femoribus 1:i paris reliquis aculeis longioribus. Dorsum abdominis cinereo-testaceum est, macula media antica fere /\-formi pallidiore notatum, quæ utrinque nigro-limbata est et intus macula obscuriore repleta, pone quam, anterius in dorso, sequuntur maculæ 4 parvæ nigræ in seriem procurvam ordinatæ. Posterius dorsum aream triangulam posteriora versus sensim angustatam, nigricantem, utrinque linea flexuosa nigra limitatam et secundum medium pallidam ostendit, et utrinque apud eam vittas nonnullas nigricantes obliquas inæquales, retro et deorsum per latera ductas. Venter nigricans, maculis 4 flavis pæne in quadratum dispositis. — ♀ *ad.* Long. 10—16 millim.

Mas *ad.*, cephalothorace testaceo, fascia sub-marginali lata utrinque et fascia angusta media nigris ornato; sterno flavo, pedibus testaceis, magis versus basin nigro-annulatis; abdomine luteo-testaceo, picturâ, ut in femina clarius signatâ, supra descriptâ; femora 2:i paris præsertim subter serie longitudinali aculeorum fortium circa 7 armata habent, tibias 2:i paris cylindratas, neque incrassatas neque ad apicem subincurvas et angustatas: supra et subter aculeis fortibus nigris armatæ sunt tibiæ et in latere interiore fascia aculeorum brevissimorum nigrorum in circa 3 series densas dispositorum (aculeis circa 15 in singula serie), ab aculeo basali majore ad apicalem majorem extensa munitæ; tibiis 1:i paris versus apicem paullo incrassatis; procursibus bulbi tribus inferioribus præsertim evidentibus, fere ut in figura *E. penicillipedis* Karsch [1] formatis.

---

[1] West-africanische Myriop. u. Arachn., *in* Zeitschr. f. d. gesammt. Naturwissensch., LII, 1879, p. 836, fig. 6.

Exempla nonnulla feminea cum duobus masculis et multis junioribus (ad magnam partem in nidis Sphecidarum captis) quæ hujus speciei credo, in Camerun collegit SJÖSTEDT. — Nisi Cel. SIMON de *Epeira Blondelii* (*Blondeli*) sua dixerat: »Venter . . . in medio vitta longitudinali nigra antice anguste, postice latius albo-marginata notatus», quæ in nostram speciem certe non cadunt, eam *E. Blondelii*, SIM.,[1] credidissem.

63. **A. rapta,** n., cephalothorace rufescenti vel testaceo, densius albicanti- vel sub-testaceo-piloso, in parte cephalica secundum longitudinem nigro-piloso quoque, in parte cephalica sæpe in medio fovea mediocri impressa, interdum linea media nigricante notato; sterno fusco-testaceo vel fusco, macula media oblonga testacea plerumque notato; pedibus rufescenti-testaceis, albo-pubescentibus et annulis binis vel ternis nigricantibus in singulis internodiis cinctis, aculeis sat multis armatis: aculeis tribus femorum anticorum in seriem ordinatis reliquis aculeis plerumque longioribus; abdomine paullo longiore quam latiore, breviter triangulo-ovato, depresso, humeris fortiter rotundatis, supra subfusco-testaceo, triangulo vel macula /\-formi plus minus distincta notato, a qua extensæ sunt series duæ macularum parvarum testacearum inter se proximæ et posteriora versus appropinquantes, quæ per aream magnam dorsi posteriorem pæne triangulam et utrinque linea fusca undulata definitam extensæ sunt; ventre fusco-testaceo pone vulvam maculis duabus parvis testaceis vel sæpius macula ⊥-formi testacea notato; corpore vulvæ oblongo et nigro et basin versus paullulo dilatato, et in scapum retro directum, clarius vel obscurius piceo-ferrugineum, saltem dimidio longiorem quam latiorem ad basin, lanceolatum, marginatum et apice sub-obtuso retro fracto; mox ubi corpus vulvæ scapum retro emittit tubercula duo parva, suâ quæque foveâ in medio impressa ostendit, a quibus costæ duæ breves pæne parallelæ retro ad basin corporis vulvæ ductæ sunt. — Lg. ceph. 6—7 millim.

Oculi medii trapezium evidenter latius antice quam postice designant, medii antici paullo majores sunt quam medii postici. Laterales

[1] Matériaux pour servir à la faune des Arachnides du Sénégal, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 1885 (1886?), p. 369.

antici paullo longius a mediis anticis quam hi inter se distant. Oculi medii antici spatio diametrum suam paullo superante separati sunt, medii postici spatio hac diametro paullo minore. — Lg. cephaloth. 3, lat. ej. 2¼, lg. abd. pæne 5, lat. ej. 4½ millim. Ped. I 8, II 7½, III paullo plus 3½, IV 7¼ millim. longi.

Mas *ad.*, quem hujus speciei credo, procursuum trium ordinariorum bulbi primum nigricantem et sub-triangulum (apice deorsum directum) habet, paullo ante secundum positum et eo breviorem, secundum sive medium apice obtusum et angulum porrectum formantem, tertium plerumque iis multo longiorem, paullo procurvum et sub-acuminatum. Cephalothorax fusco-testaceus est, pedes sub-testacei, nigricanti-annulati. Tibia 2:i paris, præter alios aculeos, subter inter duos ordines aculeorum mediocrium, seriem singulam (vel ad partem duplicem) minus ordinatam aculeorum brevissimorum circa 8—10 ostendit. — Lg. circa 5 millim.

Feminas multas in nidis Sphecidarum in Camerun collegit Sjöstedt; mares paucos, qui verisimiliter hujus sunt speciei, ibidem (sed non in nidis ejusmodi) invenit.

64. **A. nigrita,** *n.*, cephalothorace nigro vel nigricante, albo-pubescente; sterno ejusdem coloris, saltem plerumque macula oblonga media flava notato; pedibus nigris, femoribus basi late testaceis, reliquis internodiis densius testaceo-annulatis; abdomine nigricante, supra maculis densis nigris vel pallidis et setis nigris consperso, et antice maculis duabus parvis albis quoque plerumque notato; ventre saltem secundum medium nigro et maculis duabus sat parvis rotundatis flavis pone vulvam ornato; corpore vulvæ basin versus sensim paullo incrassato et sensim in scapum brevem, vix vel non dimidio longiorem quam basi latiorem, lanceolatum transeunte, quod postice puncta duo vel foveolas duas nigras ostendit, a quibus costæ duæ obscuræ pæne parallelæ versus basin corporis vulvæ ductæ sunt. — Oculi ut in specie priore. — Lg. 6—7 millim.

Variat pallidior, et tum vix nisi forma vulvæ certo a priore specie dignoscenda.

Mas ad., quem hujus speciei suspicor, quum venter ejus maculis duabus flavis distinctis postice notatus est, cephalothoracem testaceum habet, partem thoracicam utrinque leviter infuscatam; femora apice sat late infuscata sunt, reliqua

internodia nigricanti-annulata; tibiæ 2:i paris præter reliquis aculeis serie duplici (hic illic triplici) completa aculeorum brevissimorum sive dentium nigrorum secundum totam longitudinem tibiæ extensa munitæ sunt, dentibus in utraque serie circa 15; clava palporum subter procursus ordinarios tres ostendit, exteriorem pallidum, oblongum, aliumque pallidum prope eum, pone eos vero procursum procurvum, acuminatum, obscuriorem, sed iis parum longiorem. — Lg. corp. paullo plus 5 millim.

Sat pauca exempla feminea in Camerun ad Kitta et Bonge collegit SJÖSTEDT, qui marem singulum, quem hujus speciei habeo, in Camerun quoque invenit. — Vulva *A. nigritæ* pæne plane ut in *A. nautica*, L. KOCH, conformata est, ideoque vulvæ *A. raptæ* sat dissimilis.

65. **A. Theisii,** WALCK., 1841.[1]

Tria exempla adulta, unum femineum et duo mascula, hujus speciei in Camerun a SJÖSTEDT inventa sunt.

66. **A. accentuata,** n., cephalothorace nigro, albicanti-piloso, sterno colore cephalothoracis, mandibulis piceis, basi late et oblique obscurioribus, maxillis exterius nigricantibus, interius pallidis, labio nigricante apice pallido; pedibus sat dense nigro-aculeatis, femoribus testaceis, apice sat late nigris, internodiis insequentibus testaceis, binis ternisve annulis nigricantibus cinctis, tarsis modo apice nigris; abdomine fere ovato, pilis albicantibus sparso, supra in parte dorsi anteriore macula magna triangula alba, apice anteriora versus directo et macula minore triangula nigricante intus repleta notato, et mox pone eam macula antice /\-formi alba, posterius transversim versus latera dilatata et sub-testacea notato, parte dorsi posteriore area magna triangula posteriora versus sensim angustata nigricante, utrinque fascia undulata limitata et secundum medium pallidiore occupata; secundum utrumque latus abdomen seriem macularum 4 vel 5 majorum flavarum, inferius nigredine separatarum ostendit.

---

[1] De synonymis hujus speciei vid. præsertim THOR., Studi sui Ragni Malesi e Papuani, IV, I, p. 150 et 151.

Venter secundum medium niger, maculis duabus rotundis flavis sat longe inter se remotis posterius, inter vulvam et mamillas, ornatus, et pone eas aliis maculis duabus minutis flavis parum ante mamillas sitis. Corpus vulvæ basin versus sensim incrassatum nigrum in scapum nigricantem retro directum, paullo longius quam latius basi, sub-lanceolatum, marginatum transit. — Lg. corp. $5^1/_2$ millim.

Area *oculorum* mediorum, quorum postici, ut videtur, anticis paullo majores sunt, evidenter latior est antice quam postice. Series oculorum antica paullo sursum curvata est, series postica deorsum curvata, desuper visa paullo recurva. Oculi laterales antici modo paullo longius a mediis anticis quam hi inter se separati sunt. Medii antici spatio diametrum suam paullo superante inter se sunt remoti, medii postici spatio hac diametro evidenter minore separati. — Lg. cephaloth. paullo plus 2, lat. ej. pæne 2, lg. abd. circa $3^1/_2$, lat. ej. c:a $2^3/_4$ millim. Ped. I 7, II 6, III 4, IV $5^1/_2$ millim. longi.

Feminam singulam vidi, in Camerun a Sjöstedt inventam.

67. **A. turbinata,** n., cephalothorace ferrugineo, pallido-piloso, sterno, partibus oris et palpis rufo-testaceis, pedibus rufo-testaceis, præsertim in tibiis aculeis longis gracilibus nigris armatis, pilisque pallidis et, versus apicem pedum, nigris vestitis; femoribus annulo sub-apicali nigricante vel binis annulis nigricantibus cinctis, tibiis quoque binis annulis nigricantibus præditis; abdomine depresso, antice late rotundato, latitudine maxima non parum ante medium sita, posteriora versus sensim et fortiter angustato, posterius igitur triangulo, ipso apice abdominis postice oblique truncati non parum ante mamillas sito; supra abdomen albicans est, hoc colore aream pæne triangulam occupante, antice latam et inæqualem, posteriora versus sensim angustatam, quæ utrinque anterius vittas duas obscuras et utrinque, pone eas, maculam parvam obscuram ostendit, ipso apice vero maculam parvam (papulam?) nigram. Latera abdominis albicantia quoque; subter abdomen sub-cinereum videtur, mamillis luteis. Corpus vulvæ sub-conicum, in scapum mediocrem paullo sursum (versus ventrem) curvatum et plus minus retro directum transiens. — Long. corp. 6 millim.

Oculi antici in seriem pæne rectam dispositi sunt, oculi postici in seriem deorsum curvatam (desuper visi seriem rectam formant). Area oculorum mediorum, quorum postici anticis paullo majores videntur, pæne quadrata est, paullo latior postice quam antice. Oculi laterales bini contingentes sunt inter se, laterales antici paullo longius a mediis anticis quam hi inter se separati. — Lg. cephaloth. paullo plus 2, lat. ej. 2 millim.; lg. abd. 4, lat. ej. circa 4 millim. Ped. I $9^1/_2$, II $7^1/_2$, III circa 5, IV circa 7 millim. longi.

Feminam singulam hujus speciei in Camerun invenit Sjöstedt.

68. **A. napiformis,** n., cephalothorace fusco-ferrugineo, pilis sat fortibus albicantibus consperso; pedibus obscure ferrugineis, pilis ad maximam partem pallidis et aculeis longis et gracilibus nigris saltem in tibiis (et patellis) munitis, femoribus apice plus minus late nigris, patellis et tarsis annulo singulo, tibiis et metatarsis binis annulis minus distinctis nigricantibus cinctis; abdomine transverso, antice et postice late rotundato, latitudine maxima paullo pone medium, supra nigricante, pilis albicantibus sparso, et folio magno sub-triangulo albicante, utrinque profunde inciso, maculam oblongam nigricantem continente in dorso notato, quod folium antice latum est, utrinque versus marginem abdominis dilatatum, et etiam utrinque posterius ramum brevem emittente, apice postico brevi, triangulo, retro directo; in medio postice, non parum supra mamillas, sed vix vel non ante eas, papula convexa nigra præditum est dorsum abdominis. Corpus vulvæ conicum et deorsum directum in scapum sat brevem, retro directum, obtusum et marginatum repentine transit. — Long. circa 5 millim.

Oculi antici in seriem leviter recurvam, pæne rectam, dispositi sunt, oculi postici in lineam fortiter deorsum curvatam: desuper visi hi oculi lineam recurvam formant. Oculi medii, quorum posteriores anterioribus paullo majores sunt, in quadrangulum postice parum latius quam antice sunt dispositi; laterales bini contigentes sunt inter se, laterales antici a mediis anticis non parum longius quam hi inter se separati sunt. — Lg. cephaloth. paullo plus 2, lat. ej. 2 millim., lg. abd. $3^3/_4$, lat. ej. 5 millim. Ped. I 8, II 7, III c:a $4^1/_2$, IV c:a 6 millim. longi.

Etiam hujus speciei modo feminam singulam in Camerun cepit Sjöstedt.

69. **A. cereola,** Sim., 1885 (1886?)[1]

Dorsum abdominis in hac specie album, flavum vel virenti-cereum esse potest, fascia transversa nigra in declivitate antica retro producta in colorem ventris nigrum vel nigricantem transeunti; venter in medio, posterius, maculis duabus rotundatis minoribus flavis notatus est. In exemplo masculo juniore (singulo) a nobis viso venter ad longitudinem niger in medio maculas quattuor flavas fere in quadratum dispositas ostendit.

Corpus vulvæ e fovea profundissima transversa constat, cujus paries posterior pariete anteriore altior videtur; e pariete ejus anteriore exit scapus sub-cylindratus, corpore vulvæ longior sed plus triplo angustior, transversim rugosus, testaceus, apice dilatatus et (antice) excavatus, deorsum et posteriora versus directus, qui parieti posteriori corporis vulvæ ad longitudinem sulcatæ et apice fissæ innititur.

Exempla sat pauca adulta et juniora *A. cereolæ*, Sim., in Camerun collegit Sjöstedt.

70. **A. decorata,** n., cephalothorace testaceo, pallido-piloso, parte cephalica lata, alta et infuscata, sterno sub-fusco, mandibulis piceis, convexis, femoribus anticis paullo crassioribus; maxillis nigricantibus, intus testaceis, labio nigricante, apice testaceo; pedibus rufo-testaceis, femoribus apice sat late nigris et præsertim intus nigro-aculeatis, tibiis (3:ii paris exceptis) apice late nigris quoque; abdomine brevi, rotundato, sub-deplanato, nigro, pilis testaceis sat dense sparso, ordinibus tribus macularum albarum ornato, tribus maculis ad utrumque latus, quarum duæ anteriores rotundatæ sunt, tertia transversa, apice intus directo: serie media e maculis tribus majoribus, prima (basali) oblonga, media transversa, tertia fere æque longa ac lata formatis, pone quam sequuntur maculæ tres albæ parvæ, una media, versus quam directæ apice sunt maculæ duæ posticæ laterales, et duæ (una utrinque) postice: pone omnes has maculas, quæ plus minus inter se unitæ esse possunt, abdomen nigerrimum est et utrinque macula mediocri alba ante et supra mamillas, in declivitate abdominis postica, ornatum. Venter secundum medium niger duas

[1] *Epeira cereola*, Sim., Matér. pour servir à la faune d. Arachnides du Sénégal, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France 1885 (1886?) p. 368.

maculas albicantes posterius ostendit, et utrinque versus latera alias maculas binas majores albicantes. Corpus vulvæ ad longitudinem in duas partes nigras (vel in medio nigras) fissum est, ante quas antice scapus clavatus pallidus exit, deorsum et posteriora versus directus et corpore vulvæ pæne duplo longior et saltem duplo angustior. — Lg. corp. $6^1/_2$ millim.

Area *oculorum* mediorum non parum latior est antice quam postice; oculi medii antici mediis posticis paullo majores sunt et spatio diametrum suam saltem æquante separati. Oculi laterales antici a mediis anticis multo, fere duplo, longius quam hi inter se separati sunt. Oculi antici in seriem leviter recurvam dispositi sunt, oculi postici in seriem deorsum curvatam, desuper visi in seriem paullo recurvam. — Lg. cephaloth. 3, lat. ej. 2, lat. front. $1^1/_2$, lg. abd. 4, lat. ej. pæne $3^1/_4$ millim. Ped. I pæne 10, II 8, III 4, IV 7 millim. longi.

Tria exempla feminea pulcherrimæ hujus speciei in Camerun collegit Sjöstedt.

71. **A. luteola.** n., cephalothorace ad longitudinem æqualiter convexo, fronte parte thoracica pæne duplo angustiore; luteo-testaceo, præsertim in parte cephalica pilis testaceis minus densis vestito, clypeo humillimo, altitudine diametrum oculi medii antici non æquante; sterno sub-luteo, mandibulis luteis, plus duplo longioribus quam latioribus basi, in latere exteriore rectis, latere interiore (apice) valde oblique truncato, maxillis, labio et palpis testaceis; pedibus luteis, aculeis nonnullis mediocribus nigris armatis, femoribus basi magis testaceis, patellis 3:ii et 4:i parium rufo-fuscis, tibiis harum parium apice late rufo-fuscis, basi cum metatarsis et tarsis testaceis; abdomine brevissime ovato, vix longiore quam latiore, antice late rotundato, crasso, supra flavo et punctis sex parvis (duobus mediis majoribus) impresso, subter paullo obscuriore, pilis luteis minus dense sparso; corpore vulvæ bifido, deorsum directo, pallido, macula fusca utrinque: a latere ejus antico exit scapus gracilis, vulvâ paullo longior sed ea multis partibus angustior, deorsum et retro directus, pallidus, transversim rugosus, sub-clavatus (?) — Lg. corp. pæne 9 millim.

Oculi antici in seriem sursum curvatam ordinati sunt; oculi postici in seriem deorsum curvatam, desuper visi in seriem sat fortiter recurvam. Oculi medii, quorum anteriores posterioribus saltem duplo majores sunt,

in trapezium antice fere duplo latius quam postice sunt dispositi, medii antici spatio eorum diametrum paullo superante disjuncti, medii postici spatio diametro sua evidenter minore separati. Oculi laterales antici a mediis anticis spatio vix vel parum majore distant, quam quo hi inter se separati sunt. — Lg. cephaloth. 4, lat. ej. pæne 3 millim., lat. frontis $1^1/_2$ millim.; lg. abd. $5^1/_2$, lat. ej. c:a $5^1/_2$ millim. Ped. I 14, II $11^1/_4$, III $8^1/_2$, IV $10^1/_2$ millim longi.

Femina supra descripta (abdomine et vulva vitiosis) in Camerun a Sjöstedt est inventa. Cum ea ibidem exemplum femineum multo minus (modo 6 millim. longum) cepit, in quo venter maculis duabus sat parvis flavis postice notatus est, maculis aliis parvis inæqualibus flavis sparsus; scapus vulvæ ejus evidenter clavatus est, angustior basi quam apice. In exemplo (femina) tertio, quod ejusdem magnitudinis est et eandem vulvæ speciem exhibet, abdomen supra testaceum est, subter et in declivitate antica obscurius: in dorso lineas transversas, parallelas, 4—5, in medio abruptas, nigricantes ostendit. Nonne modo varietates *A. luteolæ*, n., (non species distinctæ) habenda sint hæc duo parva exempla?

Exempla tria, de quibus supra mentio facta est, omnia a Sjöstedt in Camerun sunt collecta.

72. **A. apicalis,** n., cephalothorace dimidio longiore quam latiore, anterius utrinque modice angustato, fronte parte thoracica circa dimidio angustiore, fovea centrali magna; ad colorem luteo- vel testaceo-fusco, pilis nigris rarioribus sparso; sterno nitido, fusco; mandibulis duplo longioribus quam latioribus basi, apice valde oblique truncatis, in dorso satis convexis, nitidis, pæne glabris, rufescenti-fuscis; pedibus testaceis, in tibiis, femoribus et metatarsis aculeis sat crebris nigris armatis, tibiis et metatarsis apice obscurioribus; abdomine longius ovato, nigro, pilis brevioribus sub-fuligineis vel -testaceis sat dense consperso, ordinibus duobus posteriora versus inter se appropinquantibus macularum paucarum albarum secundum latera ornato, et in medio dorso, antice, duabus lineolis brevissimis albis antice inter se unitis notato, pone quas, magis versus medium dorsi, aliæ duæ lineolæ albæ brevissimæ longitudinales inter se proximæ conspiciuntur. Venter, utrinque fascia longitudinali sursum curvata alba ornatus, secundum medium fascia sat lata nigra occupatur; mamillæ pallidæ. Vulvæ corpus nigrum utrinque in angulo antico dentem

brevem ostendit, et e latere antico inter foveas duas sat magnas rotundatas scapum angustum clavatum pallidum corpore vulvæ longiorem, anteriora versus et retro directum emittit. — Lg. corp. 7 millim.

Oculi antici seriem sursum curvatam formant: oculi postici seriem deorsum curvatam, desuper vero visi seriem recurvam. Oculi medii, quorum anteriores posterioribus plus duplo majores sunt, in trapezium non parum latius antice quam postice dispositi sunt; spatium inter illos eorum diametrum vix æquat, spatium inter medios posticos eorum diametrum pæne æquat. Oculi laterales antici spatio vix vel parum majore a mediis anticis quam hi inter se separati sunt. — Lg. cephaloth. 3, lat. ej. 2 millim.; lg. abd. 4 1/2, lat. ej. 3 millim. Ped. I 10, II 8 1/2, III 5 1/4, IV 8 millim. longi.

Feminas adultas duas, a SJÖSTEDT in Camerun inventas, vidi.

Species 4 nunc descriptæ, *A. cereola*, SIM., *A. decorata*, n., *A. luteola*, n., et *A. apicalis*, n., forma vulvæ peculiari a reliquis *Araneis* a me descriptis (etiam ab *A. semiannulata*, KARSCH (!)) differunt, et, quamquam forma cephalothoracis, cet., satis inter se dissimiles, turmam quodam modo specialem in genere *Aranea* formant.

Gen. **Pherenice,**[1] n.

Aranea parva, per quam hoc genus novum instituo, *pedibus aculeis carentibus* præsertim est distincta; familiæ *Araneidarum* evidenter est, partibus oris ut in formis typicis hujus familiæ; præterea vero de affinitatibus ejus nihil pro certo dicere audeo.

73. **Ph. tristis,** n., cephalothorace antice paullo altiore quam postice, nigro, pilis albicantibus parce sparso; clypeo diametrum oculi medii antici altitudine paullo superante; sterno nigro, vix longiore quam latiore, apice postico breviter accuminato inter coxas 4:i paris spatio sat parvo disjunctas vix pertinente; mandibulis femoribus anticis crassioribus, dimidio longioribus quam latioribus basi, in dorso convexis, cum maxillis et labio piceis; palpis nigris, pedibus brevissimis gracilibus nigris, aculeis carentibus, nigricanti-pubescentibus, femoribus et tibiis basi satis

[1] *Φερενίκη*, nom. propr., fem. gen.

anguste albis, saltem altero unguium superiorum tarsorum leviter curvato, et, ut videtur, modo binis dentibus inæqualibus pectinato, ungue inferiore breviore, fortius curvato et dentibus carente; abdomine antice et postice fere æqualiter rotundato, elliptico, longiore quam latiore, molli, nigro, densius pallido-pubescente, dorso antice et secundum utrumque latus corona macularum albarum cincto et etiam anterius in dorso maculis paucis albis in duas series longitudinales dispositis notato, postice transversim rugoso vel sub-sulcato; mamillis nigris, brevissimis. Vulva basi nigra scapum brevem latum breviter acuminatum, retro directum, sub-ferrugineum habere videtur. — Lg. corp. circa 4 millim.

Oculi antici sub-æquales in seriem sursum curvatam dispositi sunt, oculi postici in seriem deorsum curvatam; desuper visi oculi postici seriem recurvam formant. Oculi medii trapezium paullo latius antice quam postice designant. Oculi laterales bini sub-contigentes sunt inter se; laterales antici paullo longius a mediis anticis quam hi inter se remoti sunt. — Lg. cephaloth. circa $1^1/_2$ millim., lat. ej. fere 1 millim.; lg. abd. circa $2^1/_2$, lat. ej. pæne 2 millim. Ped. ita: I, II, IV, III logitudine se excipere videntur, I et II tamen fere eadem longitudine sunt (c:a $3^1/_4$ millim.).

Singulam feminam vidi, a Sjöstedt in Camerun inventam.

Gen. **Paraplectana** (De Brito Cap.), 1866, Sim.
(= **Cyrtophora**, Thor., *ad partem*, *olim*).

74. **P. multi-maculata**, n., cephalothorace rufo-testaceo, sterno, maxillis, coxis, trochanteribus et basi femorum luteis vel testaceis, pedibus præterea sub-testaceis, nigro-annulatis, apice femorum et patellis nigris, palpis nigricantibus, luteo-sub-annulatis, mandibulis apice late nigricantibus; abdomine pæne circulato, antice tamen sat late truncato, supra æqualiter convexo, lævi, flaventi, præter corona completa macularum minorum 12 nigrarum rotundarum cicatricem nigram continentium circumdato, maculis ejusmodi dorsalibus septem (plerisque paullo majoribus) in series duas paullo incurvas dispositis ornato, et præterea pone eas serie brevi transversa cicatricum 4, et denique alia serie transversa cicatricum minutarum notato, et

etiam infra, prope marginem, corona ocellorum nigrorum cincto; præterea subter nigro, paullo testaceo-maculato. — ♀ *ad.* Long. 7 millim.; long. cephaloth. 3½, lg. abd. 6, lat. ej. pæne 6 millim.

Cum hac femina sacculus ovorum pæne sphæricus (diametro circa 6 millim.) et indusio laxo satis denso lanæ cujusdam rufescenti-fuscæ circumdatus inventus est, cujus ova tamen omnia exclusa nidum jam reliquerant — si quidem hujus araneæ fuerant.

Femina singula supra descripta a VALDAU et KNUTSON in Camerun inventa est.

Pl. multi-maculata nostra eadem species videtur, quæ a BÖSENBERG et LENZ[1] sub nomine *Eurysomatis Walleri*, BLACKW. depicta est, sed quæ a vera *E. Walleri* certe differt, quum in hac maculæ abdominis nigræ anteriores (quinque) seriem *procurvam*, non ut in illa sive in *P. multi-maculata* seriem *recurvam* forment. Conf. figuram *P. Walleri* (BLACKW.) a SIMON in H. N. d'Araignées 2e Éd., I, p. 876, fig. 941 datam.

Gen. **Cyrtarachne**, THOR., 1868.

75. **C. flavo-picta**, n., cephalothorace, sterno, mandibulis, maxillis, palpis et pedibus obscure testaceo- vel fusco-rufescentibus; abdomine sub-deplanato, triangulo, antice late truncato, angulis obtusis, postice fortius rotundato, non parum latiore antice quam longiore, supra cinereo-rufescenti, vestigiis annuli rufescentis ad utrumque humerum, vitta transversa leviter procurva, lata, flava, fere æqualis latitudinis, inter humeros extensa et in medio litura transversa cinerascenti notata ornato, utrinque ad margines vittis nonnullis brevibus procurvis flavis, in medio vero intus, posterius, saltem duabus ejusmodi vittis, inter quas fascia brevis crassa utrinque biramis fusca conspicitur; subter cum mamillis rubro-fusco, striis rufescentibus transversis in marginibus variato. — ♀ *ad.* Long. corp. 6 millim.; lg. cephaloth. c:a 2, lg. abd. 5½, lat. ej. 7½ millim.

---

[1] Ostafrikanische Spinnen, *in* Beiheft z. Jahrbuch d. Hamburg. wissensch. Anstalten, XII, p. 23, Taf. II, fig. 28 et 28 *a* (1895).

Feminam singulam ad Kitta in Camerun invenit Sjöstedt.

76. **C. bi-lunulata,** n., cephalothorace, sterno, mandibulis, maxillis, palpis et pedibus plus minus sordide rufescenti- vel luteo-testaceis; abdomine sub-deplanato, triangulo, antice late truncato, angulis sub-obtusis, postice vero rotundato, supra testaceo, angulis ipsis humeralibus flavis, et utrinque supra, ad humeros, macula sat parva nigra foras curvata, antice angustato-accuminata ornato, ad marginem anticum vero serie transversa ocellorum paucorum (saltem 4), et fere in medio dorsi ocellis 4 parvis in trapezium transversum, latius antice quam postice dispositis notato, subter rufescenti-fusco, maculis minutis rufescentibus utrinque consperso et ad margines dense transversim rufo-lineato. — ♀ *ad.* Long. pæne 7 milim.; lg. cephaloth. 2, lg. abd. 6, lat. ej. pæne 7 millim.

Hujus speciei, quæ ad formam cum specie præcedente, *C. flavo-picta*, cum *C. tricolore* (Dol.), ex Amboina, aliisque pæne plane convenit, feminam singulam ad N'dian (Camerun) invenit Sjöstedt.

77. **C. nodosa,** n., cephalothorace, sterno, mandibulis, maxillis (margine interiore pallido excepto), palpis et pedibus piceis vel picco-fuscis, abdomine supra obscure cinereo, subter nigro, transverso, dimidio latiore quam longiore, humeris anteriora versus productis, obtusis, et præterea supra utrinque in tubercula tria obtusa rotundata elevato, quorum par primum reliquis humiliora sunt, et paullo pone humeros locum tenent, par secundum paullo pone ea sita, par tertium magis postice et magis intus, paullo ante apicem abdominis posticum rotundatum et sat longe pone mamillas pertinentem locata; secundum marginem anteriorem serie transversa ocellorum majorum 6 notato et, posterius in dorso, ocellis 4 in trapezium multo latius postice quam antice dispositis, quorum duo posteriores magni sunt. — ♀ *ad.* Long. corp. 5½ millim. Lg. cephaloth. circa 2; lg. abd. 5¼, lat. ej. 7¼ millim.

Singula femina a Valdau et Knutson in Camerun capta est.

Gen. **Aranoethra**, Butl., 1873.

78. **A. Ungari**, Karsch, 1878.[1]

Cel. Sjöstedt exempla paucissima *Aranoethræ*, quæ *A. Ungari* credo, in Camerun collegit. Exempli a Karsch descripti nihil nisi *abdomen* remanet, sed quum descriptio et figura hujus partis optime in nostra exempla quadrant, non dubito quin ejusdem sint speciei.

A. Cambridgei, Butl.,[2] contra, alia species videtur. Cephalothorax ejus hoc modo describitur: cephalothorax »much expanded in the centre, and crossed by three prominent rounded tubercles»; in nostra specie cephalothorax contra modo *singulum* tuberculum obtusum centralem ostendit, et in margine laterali subtiliter serrulatus est. In nostra aranea ocelli 4 medii marginis antici vitta transversa fusca vel nigra uniti sunt, quæ utrinque subito anteriora versus curvata ad marginem anticum inter ocellos 3:m et 4:m (a medio) hujus marginis producitur. Præterea cum descriptione *A. Cambridgei*, ut cum *A. Ungari*, convenit aranea nostra.

Gen. **Cærostris** Thor., 1868.

79. **C. femoralis**, n., cephalothorace nigro-piceo, præsertim secundum medium partis cephalicæ dense albo-pubescenti, paullo pone oculos utrinque fortiter constricto, et tum serie longa transversa tuberculorum conicorum fortium quattuor ornato; femoribus late rubris, pedibus præterea nigricantibus, tibiis et metatarsis præsertim in marginibus longius nigro-pilosis, subter vero cyaneum colorem sentientibus, basi pallidis et præsertim subter albo-pilosis; abdomine paullo latiore quam longiore, serie transversa tuberculorum conicorum erectorum circa 12 antice armato, quorum 6 media minora sunt et dense niveo-pubescentia, tria in utroque humero majora, in triangulum disposita, basi concreta, magis divaricantia et nigricantia sunt; tum alio tuberculo humili in medio paullo pone illa

[1] Karsch, Eine neue Aranoethra aus Accra, *in* Zeitschr. f. d. gesammt. Naturwiss., LI, 1878, p. 322.

[2] Butler, Monogr. List of the species of Gasteracantha, *cet.*, *in* Transact. of the Entom. Soc. of London, p. 175 (1873).

marginalia, duobusque in dorso postice, longe inter se remotis prædito; apice abdominis, quod pube densa nivea præsertim ad marginem variatum est, breviter bifido; ventre nigro, utrinque ad basin plaga sub-testacea, et posterius utrinque serie macularum 3 nivearum ornato. — Lg. corp. 13 millim.; lg. cephaloth. 6, lg. abd. pæne 11, lat. ej. 11 millim.

Exemplum singulum femineum satis corrugatum pulcherrimæ hujus araneæ, quæ *C. sex-cuspidatæ* (Fabr.) et *C. tuberculosæ*, Vins. ad formam similis est, sed femoribus læte rubris facile agnosci potest, in Camerun a Sjöstedt est captum.

Gen. **Plectana** (Walck.), 1841.

80. **P. Penizoides** (Sim.), 1887.[1]

Exempla non pauca, pleraque feminea, a Sjöstedt in Camerun collecta vidi; cum iis mares paucos juniores invenit, qui non, ut feminæ, dorsum abdominis antice ad magnam vel maximam partem plaga testacea occupatum habent, sed ejus loco modo lineam angustam longitudinalem testaceam antice in dorso supra nigro ostendunt.

Gen. **Gasteracantha,** Sund., 1833.

81. **G. curvispina** Guér., 1837 (?)[2]

Multissima exempla feminea ad Bonge, cet. in Camerun collecta sunt.

82. **G. brevispina** (Dol.), 1857[3] (= **G. Borbonica,** Vins.?)

Feminam *G. brevispinæ* (Dol.) — speciei in Asia meridionali et in Australia vulgatissimæ et valde variabilis — in agro Camerunensi cepit Sjöstedt. Ab exemplis Asiaticis *G. brevispinæ*, quæ possideo, differt hæc femina præsertim *summo cephalothoracis ad longitudinem leviter bifido*,[4] et spinis

[1] *Isoxia penizoides* Sim., loc. cit., p. 269.

[2] Guérin, Iconogr. du Règne Animal, Arachn. 1837 (?); — *G. Walckenaeri*, Luc., Voyage au Gabon. Descr. d. Arachn. et d. Myriap. qui habitent le Gabon, *in* Thomson, Archives Entomol., II, p. 49, 425. Pl. 12, fig. 7 et 7*a* (1858).

[3] *Plectana brevispina*, Dol., Bijdrage tot de Kennis der Arachn. v. den Indischen Archipel, *in* Natuurkundig Tijdschr. v. Nederl. Indië XIII (Ser. 3, Vol. III) p. 423?

[4] Summo cephalothoracis igitur fere ut in *G. Kuhlii* et in *G. cuspidata* C. L. Koch, »mit zwei kleinen Höckerchen» supra prædito, et non, ut in *G. brevipede* sive *G. cuspidata* C. L. Koch. Var., tuberculum singulum conicum formante.

abdominis binis posterioribus (anteriore eorum præsertim magis erecto, posteriore magis retro directo) solito fortioribus, cylindratis, mammiformibus fere, apice dente acuminato auctis, et præsertim ad apicem pilis longioribus albis densius sparsis, spinis contra duabus anterioribus brevissimis, breviter acuminatis. Hanc araneam, quæ saltem varietas distincta (fortasse propria species) est, *G. Camerunensem* appellare vellem.

83. **G. galeata** (Sim.) 1887.[1]

Feminam singulam ex Camerun domum reportavit Sjöstedt.

84. **G. Chaperi,** Sim. 1887.[2]

Feminas paucas adultas in Camerun collegit Sjöstedt.

Tribus Laterigradæ.

Fam. Heteropodidæ.

Gen. **Selenops,** Latr., 1819.

85. **S. radiatus,** Latr., 1819.[3]

Femina junior in Camerun a Valdau et Knudsen inventa est.

Gen. **Sparassus** (Walck.) 1805.

86. **S. variatus,** n., cephalothorace æque longo et lato, testaceo-fusco, linea tenui media longitudinali fusca ad sulcum centralem sat longum et fortem pertinente notato, pube flava, pilis nigris intermixtis, vestito, fronte usque ad oculos posticos cum angulis ejus nigra, fascia nigra vel nigricante utrinque ab his angulis retro ducta; mandibulis nigerrimis, nigro-pilosis, pedibus nigricantibus, coxis cum maxillis et sterno sæpe fusco-testaceis, femoribus nigris, in pedibus posterioribus vel saltem 4:i paris pallidioribus, patellis piceis, tibiis nigris, supra, ut patellis

[1] *Isoxia galeata*, Sim., Études Arachn., XXVII. Arachn. recueillies à Assinie (Afrique occid.), *cet.*, *in* Ann. de la Soc. Entom. de France, 1887 p. 269.

[2] *Gasteracantha Chaperi*, Sim., loc. cit., p. 266.

[3] *Selenops radiatus*, Latr., *in* Nouv. Dict. d'histoire naturelle, XXX, p. 579 (*sec.* Simon).

et apice femorum, fascia angusta longitudinali e pilis flavis formata notatis, tibiis præterea annulo medio lato rufescenti cinctis, metatarsis rufescentibus, annulis binis angustioribus nigris, basali et apicali, cinctis, et supra linea longitudinali nigra sæpius abrupta notatis; tarsis rufotestaceis, cum metatarsis dense rufo-scopulatis; pedibus in partibus nigris nigro-pilosis, præterea pilis longis flavo-albicantibus sub-villosis; abdomine supra ad magnam partem pubescentia lutea tecto, remanente in margine ejus antico vitta plus minus lata recurva nigra, macula utrinque versus medium dorsi sita nigra inæquali sat magna (vel utrinque maculis ejusmodi duabus), et macula magna crassa ∨-formi nigra postice in dorso, hac macula interdum utrinque bifida; dorso abdominis præterea pilis longis flavo-albicantibus sparso. Venter macula majore nigra occupatus. — ♀ *jun.* Lg. corp. c:a 13 millim.

Series *oculorum* antica recta, medii antici lateralibus anticis paullo majores et spatio diametro sua paullo majore inter se separati, a lateralibus anticis spatio diametro sua pæne duplo majore sejuncti. Oculi postici in lineam levissime procurvam (desuper visi in lineam rectam, vix recurvam) dispositi sunt. Oculi laterales postici mediis posticis non parum majores, sed lateralibus anticis evidenter paullo minores; medii postici spatio diametro sua fere 4-plo majore inter se separati et a lateralibus posticis etiam paullo magis remoti. Area oculorum mediorum non parum latior quam longior, parum latior postice quam antice. Margo inferior mandibulæ 4 dentibus conicis æqualibus armatus est, margo superior dentibus 3, quorum medius lateralibus est major. — Lg. cephaloth. circa 6, lat. ej. 6 millim., lg. abd. 7½, lat. ej. c:a 6 millim. Ped. I 24, II 24½, III 17, IV 18 millim.

Hujus speciei, quæ *S. punctipedi*, Sim., et *S. Lamarkii*, Latr., certe valde affinis est, sed quæ colore cephalothoracis, abdominis et pedum ab iis distincta videtur, exempla pauca juniora in Camerun collegit Sjöstedt.

Quum Cel. Simon, in opere suo Hist. Nat. d. Araignées, 2e Éd. II. 1 (1897), genera, quæ antea ab eo *Sparassus*, *Sarotes*, *Olios*, *Midamus*, *Sadala*, *Vindullus* et *Macrinus* sunt vocata, jam in unum, *Sparassum*, Walck., conjunxit, quia »ils se fondent graduellement les uns dans les autres, au point que leurs limites sont insaisissables» (loc. cit., p. 35), hac in re, ut in plerisque aliis, hoc opus sum secutus.

87. **S. pulchripes,** n., cephalothorace paullo longiore quam latiore, modice et æqualiter convexo, sulco centrali sat longo

et forti prædito et ad apicem ejus macula sat parva nigra notato et utrinque ad marginem posticum macula una alterave fusca, præterea in fundo rufescenti-fusco, pube tenui cinerascenti præsertim in parte cephalica et ad marginem partis thoracicæ vestito, ubi hæc pubescentia posterius quasi radios breves cinerascentes urinque format; mandibulis nigris, cyaneum colorem sentientibus, pæne duplo longioribus quam latioribus basi, in dorso convexis; maxillis et labio nigris, hoc transverso, apice rotundato, sterno, coxis, femoribus et patellis nigris, subter fuligineo-, supra magis cinereo-fusco-pubescentibus et -sub-nebulosis, tibiis ferrugineo-rufis, aculeis longioribus nigris, metatarsis subter dense nigro-scopulatis, tarsis angustis et brevibus, rufescentibus, eodem modo sed minus dense scopulatis; abdomine pube densa luteo-cinerea vestito, quæ anterius in dorso maculas 4 minus distinctas in quadratum dispositas format, et in medio dorso maculas 4 (vel 6) parvas nigras, quarum 4 posteriores quadratum formant. Venter fuligineus est, latera ejus sulphurea, mamillæ testaceæ. Vulva ex plaga nitidissima oblongo-cordiformi, antice rufescenti, postice (apice) nigra est formata, quæ utrinque callo lato oblongo nigro-fusco cincta est. — Lg. corp. 18 millim.

Oculi antici in lineam rectam dispositi sunt, postici in seriem levissime procurvam, desuper visi in seriem rectam. Oculi medii antici lateralibus anticis paullo majores sunt, inter se spatio diametrum suam æquante, a lateralibus anticis intervallo hoc spatio paullo minore separati. Oculi medii postici mediis anticis saltem duplo, lateralibus posticis modo paullo minores sunt, et ab iis spatio duplam diametrum suam superante separati, hoc spatio parum majore quam quo hi inter se distant. Area oculorum mediorum parum latior est postice quam longior et paullo latior postice quam antice. — Dentes marginis inferioris sulci unguicularis mandibularum 4 sunt, quorum intimus reliquis minor est iis proximus. Margo superior 3 dentes ostendit, quorum medius reliquis major est.

Femina singula adulta mihi nota est, quam SJÖSTEDT in Camerun invenit.

88. **S. sulphuratus,** n., cephalothorace paullo longiore quam latiore, modice et æqualiter ad longitudinem convexo, in fundo luteo, pube tenuiore flaventi vestito, et pilis nonnullis nigris anterius sparso, sulco centrali sat longo et forti; clypeo diametrum oculorum anticorum altitudine

non æquante; sterno, maxillis et labio luteo-flavis, labio non parum latiore quam longiore, apice late rotundato-truncato, mandibulis rufo-testaceis, in dorso modice convexis, pæne duplo longioribus quam latioribus basi, pilis rarioribus obscuris sparsis, ungue piceo; pedibus rufescenti-luteis, flavo-pubescentibus, scopulis metatarsorum et tarsorum nigricantibus; abdomine dimidio longiore quam latiore, sub-ovato et sub-depresso, antice sub-truncato, lateribus anterius modo leviter rotundatis, postice lateribus fortius rotundatis brevius angustato, rufescenti-luteo, pube ferruginea ad magnam partem vestito, postice in dorso lineis duabus nigris \/ magnum formantibus ornato, antice in dorso vero maculis 4 majoribus sulphureis pæne in quadratum dispositis et puncto plus minus evidenti nigro in margine intus notatis, spatio inter has maculas sub-hastato pube densa ferruginea tecto, et pone eas lineis paucis transversis /\-formibus, alternantibus flavis et sub-ferrugineis, ipso apice dorso pone \/ illud nigrum rufo-luteo; lateribus abdominis, superius, ad longitudinem inæqualiter luteo-flavo-striatis. Venter secundum medium sat late fuscus est, in lateribus magis sulphureus. Vulva plagam paullo inæqualem, pæne planam, nitidam format, quæ anterius pæne cordiformis, lata et pallida est, posteriora versus angustata et hic utrinque nigro-marginata. — ♀ *ad.* Lg. corp. circa 13½ millim.

Oculi antici in seriem rectam dispositi sunt, postici in seriem levissime procurvam, desuper visi in seriem plane rectam. Oculi medii antici lateralibus anticis paullulo majores sunt, inter se spatio diametrum suam æquante, a lateralibus spatio hac diametro paullo minore, separati. Oculi medii postici lateralibus anticis circa duplo minores sunt et ab iis spatio duplam diametrum suam vix æquante sejuncti, a lateralibus posticis, quibus modo paullo minores videntur, vix vel parum longius quam inter se separati. Area oculorum mediorum paullulo latior est quam longior, parum latior postice quam antice. Margo posticus sulci unguicularis mandibularum dentibus 5 armatus est, 3 mediocribus, et 2, intus sitis, minutis; margo anticus 3 dentibus est præditus, quorum medius reliquis dentibus major est. — Lg. cephaloth. 6¼, lat. ej. 5½ millim.; lg. abd. 7½, lat. ej. 5 millim. Ped. I 29, II 29½ III 20½, IV 25 millim. longi.

In ♂ *adulto*, cujus pedes non parum longiores sunt, cephalothorax partem cephalicam lineis flavis longitudinalibus ornatum habet et partem thoracicam anguste flavo-marginatam, et præterea lineis duabus lateralibus flavis utrinque radiantibus

notatam, pedes punctis sulphureis sparsos et ventrem nigrum. Apex partis tibialis in aculeum pæne rectum nigrum sensim acuminatum transit, qui apice partis tibialis paullo brevior est, ipsa basi crassus et subito anteriora versus curvatus, apice vero vix evidenter foras curvatas.

Exempla tria adulta, feminæ duæ et mas singulus, pulchræ hujus speciei a SJÖSTEDT in Camerun inventa sunt.

89. **S. conspersipes,** n., cephalothorace paullo longiore quam latiore, modice et æqualiter ad longitudinem convexo, fronte dimidiam latitudinem partis thoracicæ latitudine parum superante, rufescenti-testaceo, umbris paucis radiantibus obscurioribus in utroque latere, pube tenui pallida æqualiter tecto; partibus oris sub-fuscis; mandibulis et maxillis fascia una alterave longitudinali obscuriore minus distincta notatis, illis duplo longioribus quam latioribus basi, labio vix vel parum latiore quam longiore, apice rotundato; sterno sub-testaceo, pilis nigris sat dense sparso; pedibus longis, gracilibus, pilis pallidis conspersis et aculeis nigris armatis, sub-testaceis, præsertim tibiis et metatarsis maculis parvis nigricantibus conspersis, metatarsis et tarsis scopulis brevibus sed densis cinereo-nigris subter vestitis; abdomine dimidio longiore quam latiore, pube densa tecto, dorso nigricanti-testaceo, vitta vel stria longitudinali sat lata testacea in medio anterius notato, et utrinque apud eam maculis duabus sat magnis rotundatis testaceis, his 4 maculis pæne in quadratum dispositis: pone eas utrinque maculas binas parvas nigras video. Latera abdominis et mamillæ testacea sunt; venter plaga nigra, a plicatura genitali pæne ad mamillas pertinente occupatur. — ♀ sub-adulta. Long. corp. circa 12 millim.

Oculi antici in seriem pæne rectam, parum sursum curvatam dispositi sunt, medii lateralibus paullo majores et inter se spatio diametro sua paullo majore, a lateralibus spatio hac diametro paullo minore, separati. Oculi postici æquales (medii fortasse lateralibus paullulo majores) in lineam paullo procurvam ordinati, desuper visi lineam rectam formant. Area mediorum, quorum antici posticis non parum majores sunt, aream pæne quadratam, parum longiorem quam latiorem, vix latiorem postice quam antice, occupant. — Lg. cephaloth. 6, lat. ej. $5^1/_2$; lg. abd. $6^1/_4$, lat. ej. 4 millim. Ped. I $27^1/_2$, II 28, III pæne 20, IV 25 millim. longi. Margo inferior sulci unguicularis mandibularum dentibus 5 est

armatus: 3 mediocribus, et 2 minutis, intus apud illarum 3:m, locatis. Margo superior sulci unguicularis 3 dentibus armatus est.

Singulam feminam non plene adultam vidi, in Camerun a SJÖSTEDT captam.

Gen. **Remmius**, SIM., 1897.

90. **R. sordidatus**, n., cephalothorace anterius lato et valde convexo, postice declivi et pone foveam centralem brevem et latam humili, nigerrimo et antice setis nigris sparso, postice vero pilis longis apice pallidis; clypeo modo diametrum oculi medii antici altitudine æquante, fronte lata et recte truncata, mandibulis fortissimis, femoribus anticis pæne duplo crassioribus, dimidio longioribus quam latioribus basi, intus late et oblique rotundato-truncatis, nitidis, lævibus, in dorso setis nigris sparsis, in margine sulci unguicularis pilis longis densis rufis præditis; sterno et labio nigris, nigro-pilosis, maxillis apice longe rufo-ciliatis; labio paullo latiore quam longiore, apice rotundato rufescenti: pedibus sat brevibus et fortibus, nigris, aculeis nigro-piceis armatis, subter pilis nigris, præterea pilis albicantibus rarioribus sparsis, metatarsis et tarsis scopulis brevioribus densis cinereo-nigris subter vestitis et præterea nigro-pilosis; abdomine pulchre ovato, supra fuligineo-nigro, et pilis longioribus rarioribus albicantibus consperso; ventre pone rimam genitalem plaga magna sub-ovata antice truncata rufescenti-picea occupato. Vulva e fovea sat magna rotundata transversa constat, quæ utrinque corpus quoddam rotundatum incurvum (paullo heliciformem fere), sub-testaceum, ad partem extrusum ostendit. Mamillæ apice sub-testaceæ, basi obscuriores. — ♀ *ad.* Long. corporis 18 millim.

Oculi antici in seriem rectam dispositi sunt, medii lateralibus paullulo majores et inter se spatio diametrum suam æquante vel vix superante sejuncti, a lateralibus anticis spatio hac diametro saltem dimidio majore remoti; series oculorum posticorum leviter procurva est, desuper visa recta, vix vel non recurva; medii postici lateralibus posticis (qui lateralibus anticis non multo minores sunt), multo, pæne duplo, minores, et inter se spatio diametro sua saltem duplo majore remoti, a lateralibus posticis vero spatio hac diametro plus triplo, pæne quadruplo majore. Area oculorum mediorum evidenter paullo latior quam longior est, postice vix vel parum latior quam antice. Sulcus mandibularum in margine superiore 3 dentibus armatus est, quorum medius reliquis est major;

margo inferior 5 dentes pæne æquales ostendit. — Lg. cephaloth. 8, lat. ej. 8 millim., lat. frontis $5^1/_2$ millim.; lg. abd. 11, lat. ej. paullo plus 6 millim. Ped. I $27^1/_2$, II $28^1/_2$, III 21, IV $22^1/_2$ millim. longi.

Hanc araneam non tantum propter formam cephalothoracis ad gen. *Remmium*, Sim., refero, sed etiam quia hoc genus marginem inferiorem sulci unguicularis mandibularum »dentibus *quinque* contiguis et sub-æquis» armatum habere dicitur (Sim., H. N. d. Araignées, 2e Éd., II, p. 46).

Exemplum femineum supra descriptum a Sjöstedt in Camerun inventum est.

Gen. **Heteropoda**, (Latr.), 1804.

91. **H. regia**, (Fabr.), 1793.[1]

Hujus speciei, quæ in casis et tuguriis communis est, multa exempla utriusque sexus et omnis ætatis in Camerun invenerunt Sjöstedt, Valdau et Knutson.

Fam. **Thomisidæ.**

Gen. **Tmarus**, Sim., 1875.

92. **T. cancellatus**, n., cephalothorace vix longiore quam latiore, utrinque anterius fortiter angustato, parte cephalica parte thoracica duplo angustiore, clypeo declivi; parte thoracica utrinque fortiter rotundata, deplanata; albicanti-testaceus est cephalothorax, fasciis duabus longitudinalibus pæne parallelis, nigricantibus, ab oculis lateralibus posticis retro et paullulo foras ductis notato, quæ fasciæ in medio quasi

[1] *Aranea regia*, Fabr., Entom. Syst., II, p. 408. — Plerique scriptores, Latreille secuti (vid. ejus Genera Crust. et Insect., I. p. 114), *Araneam venatoriam* Linnæi ad hanc speciem retulerunt, quamquam *A. venatoria*, Linn., familiæ *Theraphosidarum* est, et nescio an eadem sit atque *Aranea nidulans*, Fabr. (*Pachylomerus nidulans*, Sim.). Conf. descriptionem hujus, et *A. venatoriæ* Linn. in Syst. Nat., Ed. XII (*non* Ed. X, ut olim perperam scripsi!), I, II, p. 1035 (1767): »A. subhirsuta, thorace orbiculato, convexo, abdomine ovato magnitudine thoracis. Habitat in America calidiore». - Inter synonyma hic a Linnæo allata invenimus »Brown. Jam., 420. Tab. 44. fig. 2». — Conf. Fabr., Syst. Entom., p. 439: »*A. venatoria*. A. thorace orbiculato, glabro, atro, abdomine ovato, fusco, pubescenti. Habitat in America. Nidum struit cylindricum, tenacem, longitudine pedis, superne operculo claudendum». Etiam a Fabricio hoc loco ad »Brown. Jam. 420, tab. 44, fig. 2» revocavimur. In Ent. Syst., II, p. 408 nomen et descriptionem *A. venatoriæ* repetit Fabricius, etsi in Mantissa Ins., I. p. 343 hanc araneam *A. nidulantem* appellaverat.

ex binis annulis compositæ sunt, antice et postice magis æquales; ad utrunque angulum posticum cephalothorax quoque maculam nigram ostendit, et utrinque setis nonnullis fortibus nigris sparsus est. Sternum fusco-testaceum. Mandibulæ albicantes, ut maxillæ; labium basi fuscum, apice pallidum. Palpi breves, albicantes; pars tibialis brevissima, in latere exteriore apicis late truncati spinam gracilem incurvam nigram gerit. Pedes albicanti-testacei, aculeis longis crebris nigris in femoribus, patellis, tibiis et metatarsis armati, pedes anteriores præsertim longi, cephalothorace sextuplo (vel ultra) longiores. Abdomen oblongum, depressum, pentagonum, antice rotundatum, in lateribus primum sensim paullo dilatatum, dein, in parte circa quarta apicali, sensim fortius angustatum, in dorso albicans et fascia angusta nigra utrinque secundum latera ornatum, quæ non parum ante apicem abdominis alia fascia transversa ejusmodi inæquali plus minus distincta decussata est: præterea dorsum punctis nigris raris conspersum est, quæ suam quodque setam fortem nigram gerunt. Venter cinereo-albicans est. — Lg. corp. c:a $5^1/_4$ millim.

Clypeus altitudine areæ oculorum latitudinem æquat, pæne planus, oblique porrectus. Oculi laterales tuberculis magnis impositi sunt et mediis oculis multo majores, laterales antici præsertim, qui lateralibus posticis plus duplo majores sunt. Series oculorum antica recta est, series postica non parum recurva. Oculi medii aream non parum latiorem postice quam antice, et vix vel parum longiorem quam latiorem postice, occupant; medii antici vix longius inter se quam a lateralibus anticis distant, laterales postici pæne duplo longius a mediis posticis quam hi inter se. — Lg. cephaloth. $2^1/_2$, lat. ej. $2^1/_2$ millim.; lg. abd. 3, lat. ej. parum plus 2 millim. Ped. I 13, II 14, III $6^1/_4$, IV 7 millim. longi.

Exemplum masculum singulum hujus speciei in Camerun a Sjöstedt inventum est.

Gen. **Thomisops** Karsch, 1879.

93. **Th. pupa,** Karsch,[1] cephalothorace altissimo, pæne cubico, antice lato et abrupte proclivi, pæne directo, lateribus pæne directis et crasse denseque granulosis, ad utrunque

[1] Karsch, Ueber ein neues Laterigraden-Geschlecht von Zanzibar *in* Zeitschr. f. d. gesammt. Naturwissensch., LII (1879), p. 374: *Thomisops pupa* (= ♀, p. 375; *Th. pusio* (= ♂, p. 376)

marginem posticum vero denticulatis, postice quoque pæne directo, latissime truncato et lævissimo; supra paullo proclivi et paullo convexo, fronte latissima, paullo convexa; oculis posticis in seriem modo leviter recurvam, oculis anticis in seriem fortius recurvam ordinatis; oculis lateralibus reliquis oculis paullo majoribus, oculis mediis posticis minutis cum mediis anticis paullulo majoribus quadrangulum non parum latius quam longius et postice paullo latius quam antice formantibus, oculis mediis utriusque lateris fere dimidio majore spatio a reliquis oculis mediis remotis quam quo distant oculi laterales a mediis sui lateris; supra et postice cephalothorax albicans est et leviter granulosus, in lateribus rufo-ferrugineus, mandibulæ crassæ, directæ et ad basin paullo roseo-venosæ, apice sub-ferrugineo, longitudine altitudinem clypei paullo superantes: apice intus aream sat parvam spinulis minutis rufescentibus dense obsitam ostendunt; unguis brevis. Maxillæ et labium testacea; sternum breviter ovatum, cum coxis et femoribus (basi late) testaceum; femora apice cum insequentibus internodiis plus minus late rufescentia vel pallidiora sunt. Abdomen rotundato-transversum, latius postice quam antice, cute duriuscula granulosa tectum, granulis præsertim postice in series, sulcis fortibus separatas, ordinatis, flavo-testaceum, macula vel maculis duabus parvis oblongis piceis ad marginem anticum notatum, et macula tertia transversa ejusdem coloris paullo pone eam, quam sequiter series transversa macularum paucarum ejusdem coloris per medium dorsum transversim extensa, hac serie utrinque in plagam magnam inæqualem circum mamillas et anum diffusa. Pedes brevissimi et crassi, tarsis metatarsis paullo brevioribus. — Long. corp. $5^1/_2$ millim.; lg. cephaloth. $2^1/_2$, lg. abd. 4, lat. ej. c:a $4^1/_2$ millim.

Feminam singulam ad Bibundi (Camerun) invenit Sjöstedt. Quum descriptiones hujus araneæ antea datæ paullo a nostro specimine discrepent, pauca de eo hic addere volui.

Gen. **Bomis** L. Koch (?) 1873.

94. **B.** (?) **irrorata,** n., cephalothorace nigro, pilis brevissimis, raris, saltem in dorso seriatis, albicantibus sparso, fascia

angusta alba marginali utrinque cincto, et fasciis duabus testaceis foras curvatis in dorso ab oculis lateralibus posticis retro ductis ornato, a quibus ramus anteriora versus directus ad oculos medios posticos exit, sub his fasciis fovea impressa nigra utrinque sat longe pone oculos posticos sita prædito, et in utroque latere, sub iis, fascia alia minus distincta recta albicante signato, et, ut videtur, fascia sub-testacea utrinque inter oculos medios oblique deorsum per clypeum ducta notato, margine clypei sub-testaceo quoque; mandibulis testaceis, vitta basali aliaque pæne apicali nigris ornatis; palpis pallidis, paullo nigro-maculatis; pedibus nigris, femoribus apice nigro et macula nigra subter exceptis albis, pedibus apicem versus plus minus nigro- et albo-variatis. Cephalothorax postice oblique truncatus est; latera partis thoracicæ superius declivia, præterea directa, frons proclivis; clypeus longitudinem mandibularum saltem æquat. Metatarsi et tarsi fere eadem longitudine sunt. Abdomen transversim rotundatum est, antice magis truncatum, albicanti-testaceum et granulis sat crassis humilibus dense sparsum, et maculis nigris ad magnam partem in vittas duas vel tres transversas in dorso confusis irroratum.

Series oculorum antica fortius est recurva quam series postica. Area oculorum mediorum non parum latior est postice quam antice, paullo latior quam longior; oculi laterales postici paullo longius a mediis posticis quam hi inter se remoti videntur, oculi antici spatiis pæne æqualibus separati sunt. — Lg. corp. pæne 3 millim.; lg. cephaloth. 1; lg. abd. $1^1/_2$, lat. ej. fere 2 millim.

Exemplum parvum, verisimiliter nondum adultum hujus araneolæ in Camerun invenit Sjöstedt. Generis *Bomis* eam suspicor, cujus rei tamen nullo modo certus sum.

Gen. **Thomisus** (Walck.) 1805.

95. **Th. (Daradius) tripunctatus,** Luc., 1858.[1]

Feminam adultam hujus speciei, cum sacculo ovorum ejus et cum exemplo juniore, quod ejusdem speciei videtur, ad Bonge in Camerun cepit Sjöstedt.

[1] *Thomisus tripunctatus*, Luc., Voyage au Gabon. Descrip. d. Arachn. et d. Myriopodes qui habitent le Gabon, *in* Archives Entomologiques de J. Thomson, II, p. 24, Pl. 12, fig. 3, 3 *a*.

Gen. **Phrynarachne,** THOR., 1869.

96. **Phr. rugosa** (LATR.)[1] (1819?).

Cel. SIMON *Thomisum rugosum*, LATR., eandem ac *Thomisum fokam*, VINS. (Aran. d. îles de la Réunion, Maurice et Madagascar, p. 69, Pl. XIV, fig. 4) considerat. Exemplum *Th. fokæ* possideo, multis abhinc annis ab ipso Cel. VINSON dono mihi missum, quod ab exemplo paullo minore in Camerun a SJÖSTEDT nuper capto distinguere nequeo; hoc exemplum igitur *Phr. rugosam* (LATR.) appello.

Tribus Citigradæ.

Fam. Lycosidæ.

Subfam. Ctenini.

Gen. **Ctenus** (WALCK.), 1805, SIM. 1897.

97. **C. poecilus,** n., cephalothorace impressionibus cephalicis fortibus, parte cephalica anteriora versus adscendente, parte thoracica primum adscendente, dein abruptius declivi, parte cephalica satis angusta, parte thoracica in lateribus fortiter rotundata, fascia media longitudinali cinerea in medio lata et fere stellata, antice et postice vero angustata notato, et utrinque fascia longitudinali inæquali ejusdem coloris ornato; oculis lateralibus anticis cum mediis posticis lineam leviter procurvam formantibus; mandibulis nigris, angustis et cylindratis, maxillis et labio quoque nigris, illis apice sub-piceis; sterno et coxis testaceis, pedibus longis præterea nigris et sat dense testaceo-annulatis, et aculeis crebris sed non longis armatis, abdomine dense cinereo- et rufescenti-piloso et maculis paucioribus nigris præsertim in medio dorso notato et sub-irrorato, subter pilis pallidis tecto; vulva e tuberculo alto in medio rufescenti, utrinque vero piceo constante; mamillis pallidis. — Long. circa 14 millim.

Lg. cephaloth. 7 millim., lat. ej. 6 millim.; lat. clypei $2^1/_2$ millim., lg. areæ oculorum paullo plus 2 millim.; lat. ej. maxima (postice) $2^1/_4$

[1] *Thomisus rugosus*, LATR., *in* Nouv. Dict. d'hist. Nat., XXXIV, p. 62 (Sec. WALCK.).

millim.; lg. abd. paullo plus 8, lat. ej. $5^1/_4$ millim. Ped. I 38, II 37, III $31^1/_2$, IV pæne 45 millim. longi; sulcus mandibularum postice 4 dentibus æqualibus et longis armatus est.

Femina adulta singula a SJÖSTEDT in Camerun est inventa.

98. **C. dirus,** n., cephalothorace non parum longiore quam latiore, parte cephalica parte thoracica fere duplo angustiore; fusco, ad magnam partem pube tenui lutea vel testacea tecto, hac area antice inter oculos posticos producta et hic quasi cuneum luteum vel testaceum formante, remanente facie utrinque fusca, pube lutea fasciam oblique deorsum directam utrinque sub oculis posticis formante; palpis nigro-fuscis, scopula densa longiore subter in partibus tibiali et tarsali munitis, pedibus quoque nigro-fuscis, sed basi, supra, pube tenui densa lutea sive ochracea plus minus anguste tectis, et præsertim in tibiis maculis parvis densis e pube sub-testacea formatis plus minus variatis, et scopulis densis brevibus sub-fuscis præditis, præterea immaculatis; mandibulis nigerrimis, pube longiore fusca (nec nigra, nec flava!) vestitis; abdomine in fundo fusco, pube longiore et breviore sub-fusca vestito et in dorso anterius fascia longitudinali media postice abbreviata sub-testacea notato; vulva ex area lata, elevata, subtriangula, fusca, opaca constante, quæ sulcum medium longitudinalem, et in utroque latere dentem brevem, retro directum, apressum, rufescentem, nitidissimum ostendit; ventre nigro, pone vulvam maculis parvis albicantibus in series quattuor longitudinales dispositis ornato. — ♀ *ad.* Long. 33 millim.

Margo mandibularum inferior postice dentibus 4 fortibus armatus est, antice 3 dentibus sensim minoribus. Pedes præter multos aculeos in femoribus et binos in patellis posterioribus, in tibiis 5 paria aculeorum et in metatarsis anterioribus 3 aculeorum paria quidem habent, et patellæ anteriores aculeis carent; sed metatarsi posteriores compluribus aculeis armati sunt, saltem 8 paribus aculeorum in metatarsis posticis. Sternum cum coxis subter obscure fuscum est, pilis longioribus minus densis fuscis conspersum. — Lg. cephaloth. 17, lat. ej. 13 millim., lg. abd. 15, lat. ej. (post partum) $9^1/_2$ millim. Ped. I 69, II 62, III $54^1/_2$, IV 67 millim. longi.

99. **C. nigro-maculatus,** n., cephalothorace non parum longiore quam latiore, in fundo fusco, pube tenui minus densa

tecto, hoc colore linea media longitudinali albicanti modo in ipso medio paullo dilatata persecto; margine cephalothoracis late paullulo clariore, cinerascenti, summo margine ejus tamen linea tenui nigricante cincto, clypeo et area circum oculos anteriores et macula parva pone utrumque oculum posticum fuscis; mandibulis nigris, pilis cinerascentibus dense vestitis; pedibus in fundo fuscis, pube tenui sub-testacea tectis et in femoribus, apud basin spinarum eorum, maculis paucis minutis albicantibus sparsis; abdominis dorsum macula magna sub-oblonga nigra ornatum, quæ utrinque postice alia macula nigra minore sub-triangula continuata est, et quam in medio dorso alia macula etiam paullo minore sequitur, his maculis tribus vitta anterius satis angusta, posterius dilatata et lata, pallide testacea separatis; posterius, sub et pone has maculas abdominis, dorsum sub-luteo-testaceum videtur, subter vero nigrum et serie densa macularum parvarum, in series duas versus anum inter se appropinquantibus secundum medium notatum; mamillæ pallidæ. Vulva e lamina fere plana sed convexa, fusca, pube densa fere erecta tecta constat, quæ parum longior quam latior est, pæne circulata, antice truncata, sulco profundo procurvo posterius cincto, et hic, utrinque postice, dente brevi retro directo rufescenti armata. — ♀ *ad.* Long. circa 22 millim.

Margo mandibularum inferior postice dentibus 4 fortibus armatus est, antice tribus dentibus sensim minoribus. Pedes omnes aculeos multos in femoribus habent, pedes 1:i et 2:i parium 5 paria aculeorum in tibiis omnibus, 3 paria aculeorum in metatarsis anterioribus; pedes 4:ti paris binis aculeis in patellis posterioribus, circa 10 aculeis in tibiis et 10—12 paribus aculeorum in metatarsis præditi sunt. — Lg. cephaloth. 11, lat. ej. $8^2/_3$ millim.; lg. abd. $11^1/_4$, lat. ej. 7 millim. Ped. I 41^1 2, II 38, III 32, IV 45 millim. longi.

100. **C. pogonias,** n., cephalothorace crasso, in fundo piceo, pube tenui cinereo-testacea minus æqualiter vestito, summo margine piceo; mandibulis nigris, pilis cinerascentibus crassis densius sparsis et sub iis pilis brevibus albo-cinereis præsertim versus basin vestitis; palpis basi piceo-testaceis, apice nigris, pedibus piceis, pube tenui pallidiore vestitis; abdomine crasso, sub-testaceo-fusco, pube densa brevi tecto et secundum dorsum maculis

nonnullis rotundatis in series duas longitudinales secundum medium dorsum dispositis ornato, his maculis reliquo dorso tamen modo paullo pallidioribus et parum distinctis, dorso præterea sub-testaceo-fusco, ventre fascia media longitudinali sat lata nigricante ornato; vulva ex area oblonga elevata sat lata, postice obtusa et fortiter rotundata, rufescenti-picea et pubescente constante, cujus ad latera utrinque costa sive area angustior et multo brevior, alta, rufescenti-fusca, nitida, favæformis fere conspicitur, quæ costæ reliqua vulva plus duplo angustiores sunt eaque duplo breviores, eam altitudine pæne æquantes et spatio evidenti ab ea separatæ. Mamillæ pallidæ. — ♀ *ad.* Lg. corp. 26½ millim.

Mandibularum margo posticus 4 dentibus fortibus armatus est, margo anticus 3 dentibus sensim minoribus armatus. Aculei pedum ut in prioribus sese habere videntur. — Lg. cephaloth. 11, lat. ej. 8 millim.; lg. abd. 16, lat. ej. 10½ millim. Ped. I 34, II 32, III 28, IV 36½ millim. longi.

Feminam singulam adultam vidi, in Camerun a SJÖSTEDT repertam.

101. **C. pilosus,** *mas.* Cephalothorax rufo-testaceus est; pilis testaceis (in nostro exemplo ad maximam partem detritis) vestitus fuisse videtur, pedes quoque rufescentes, valde longi, saltem subter in tibiis et metarsis pilis longissimis, mollibus (hic illic detritis) quasi barbati. Mandibulæ rufo-testaceæ; sternum, maxillæ et labium testacea. Palpi longi, testacei, apice partis tibialis et clava dense sub-fusco-pubescente obscurioribus; pars femoralis partibus patellari et tibiali conjunctim paullo longior est, pars patellaris basin versus angustata, saltem duplo longior quam latior apice; pars tibialis parte patellari vix longior, pæne cylindrata, ipso apice supra, extus, in procursum corneum biramem dilatata, ramo superiore brevi, accuminato, inferiore longiore et fortiore, oblique porrecto; pars tarsalis parte patellari evidenter longior est, basi supra in uncum fortem procurvum elevata, qui extus procursui illo partis tibialis innititur; bulbus a latere visus ad basin in tubercula duo fortia est elevatus. Abdomen, quod pube densa rufo-testacea est tectum et maculis paucis nigris sparsum, ventrem pallidius

rufo-testaceum habet. Mamillæ testaceæ. — ♂ *ad.* 14 millim. longus. — Lg. cephaloth. 7½, lat. ej. 6 millim.; lg. abd. 7, lat. ej. 4 millim. Ped. I 32, II 28, III 23, IV 32½ millim. longi.

Femina (quæ hujus speciei videtur). — Cephalothorax rufo-fuscus, pilis raris nigris et pallidis sparsus, margine sat lato paullo pallidiore cinctus, summo margine tamen nigro. Mandibulæ rufo-fuscæ, pilis longioribus nigris et sub-testaceis sparsæ, in margine interiore postice 4 dentibus mediocribus armatæ, antice 3 dentibus. Sternum testaceum. Pedes sub-testaeei, densius nigro-aculeati, in tibiis et metatarsis uno alterove annulo pallidiore notati; femora supra transversim minus distincte nigro-undulata sunt. Abdomen supra pube densa flavo-testacea est vestitum et maculis 6—8 nigris in duas series longitudinales secundum dorsum dispositis ornatum, venter quoque sub-testaceus. Vulva ex area pubescente, cornea, sat magna, oblonga, pæne plana rufo-ferruginea constat, quæ utrinque postice impressionem rufescentem ostendit, e qua dens fortis acuminatus incurvus et sursum (versus ventrem) curvatus et retro directus eminet. Mamillæ pallidæ. — Lg. corp. 11 millim.

Lg. cephaloth. 6; lat. ej. 5½ millim.; lg. abd. 6, lat. ej. paullo plus 4 millim. Ped. I 17, II 16, III 14, IV 20 millim. Series oculorum mediorum leviter deorsum est curvata. Oculi 4 medii, quorum anteriores posterioribus paullo minores sunt, aream antice paullo angustiorem quam postice occupant.

Mares duo et femina singula hic descripti in Camerum a Sjöstedt inventi sunt.

102. **C. clathratus,** n., cephalothorace rufo-testaceo, pube tenui testacea tecto, linea media longitudinali tenui e pube densiore testacea secundum medium formata, et fascia latiore testacea saltem posterius evidenti e pube tenuiore testacea formata utrinque secundum latera notato; clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine pæne æquante; mandibulis rufescenti-testaceis, et pilis testaceis, intermixtis nigris, sat dense conspersis; maxillis, labio, sterno et coxis testaceis, pedibus præterea testaceis, nigro-aculeatis, vix vel non evidenter nigricanti-maculatis;

abdomine oblongo, angustius elliptico, rufescenti-testaceo, supra pube densa rufescenti tecto, dorso secundum medium pube obscuriore, sub-fusco-testaceo vestito et fascia longitudinali satis angusta et æquali latitudine, fulvo-testacea ornato, quæ in parte anteriore ex vittis longitudinalibus tribus parallelis conflata videtur, dein vero, ante medium, in tres partes æquales sub-divisa est et non parum ante apicem abdominis abrupta; ventre pube pallidiore tecto et inter vulvam et anum linea angusta obscura parum evidenti notato, quæ ante anum in maculam parvam obscuram dilatata est. Vulva ex area triangula deplanata ferruginea, postice acuminata constat, cujus basis truncata utrinque tuberculum obtusum anteriora versus directum format, et cujus latera utrinque aliud tuberculum obtusum foras directum formant, pone hæc tubercula vero obscuriora et elevata sunt, et posterius carina elevata concomitantur. Mamillæ longiores, testaceæ. — Long. corp. $10^3/_4$ millim.

Lg. cephaloth. $5^1/_2$, lat. ej. pæne $4^1/_2$ millim.; lat. clypei $2^1/_2$ millim. Ped. I pæne 20, II 19, III 17, IV 23 millim. Long. abd. $5^1/_4$, lat. ej. 4 millim. Sulcus unguicularis postice, ut in prioribus, 4 dentes ostendit.

Feminam singulam in Camerun cepit Clar. Sjöstedt.

Subfam. **Lycosini.**

Gen. **Phalæa,** Sim., 1898.

103. **Ph. crassa,** n., cephalothorace non parum longiore quam latiore, rufescenti-testaceo, pube brevi sat densa testacea consperso, fronte pube flava vel testacea et ad partem albicante tecta, mandibulis fortibus, nigris, nigro- et sub-fusco-pilosis, maxillis et labio nigris, apice testaceis, sterno et coxis nigris, nigro-pilosis, pedibus præterea sordide vel fusco-testaceis, et præsertim subter inæqualiter nigricanti-maculatis, dense nigro-aculeatis et -pilosis vel sub-villosis, apicem versus magis nigris; abdomine nigricante et densius nigro-piloso, dorso pube brevi densa rufescenti tecto, et fascia longitudinali mediocri pallida anterius notato; ventre fascia longitudinali antice lata posterius angustiore nigra occupato, hac area nigra

utrinque linea pallida inclusa) et utrinque pube breviore sub-testacea vestito et pilis nigris sparso. Mamillæ breves, crassæ. — Long. corp. 37 millim.

Lg. cephalothorac. pæne $14^1/_2$ millim., lat. ej. $11^1/_2$ millim., lat. clypei 7 millim.; lg. abd. 23, lat. ej. 16 millim. Ped. I 63, II 60, III 45, IV 65 millim. longi. Mandib. sulcus unguic. postice dentibus 4 munitus. Oculi ad magnitudinem et dispositionem plane sunt ut in specie typica (*Phalæo canescente* Sim.[1]). Num ejusdem speciei?

Feminam singulam adultam in Camerun invenit D:r Sjöstedt.

Gen. **Thalassius,** Sim., 1885.

104. **Th. rubro-maculatus,** cephalothorace sub-testaceo, pilis brevissimis albicantibus vel sub-cervinis dense consperso, parte thoracica utrinque linea satis angusta nigerrima cincta; clypeo alto, declivi; oculis mediis anticis cum lateralibus anticis multo minoribus seriem fortiter recurvam formantibus, lateralibus anticis fere æque longe a mediis anticis et a mediis posticis remotis. Mandibulæ nigro-fuscæ, summa basi ferrugineo-fuscæ, pilis longioribus rufo-testaceis vel -cinereis vestitæ; ungue nigro. Sternum et maxillæ sub-testacea, pilis longis densis testaceis, intermixtis saltem in sterno nigris vestita. Pedes cinereo-testacei, aculeis nigris, præsertim in tibiis et metatarsis sat longis armati, et pube brevi albicante tecti; subter versus apicem vero pilis longioribus sub-testaceis vestiti sunt. Abdomen sub-cinereum, pube brevi densa in declivitate antica albicanti, præterea in dorso pube sub-fusca, intermixta albicanti, sparso, et pube rubra, maculas 6 vel 8 minores et duas series longitudinales secundum dorsum formante ornato; ventre pube densa sub-fusco-testacea et nigra tecto. Mamillæ sub-fusco-testaceæ. — Long. corp. $27^1/_2$ millim.

Lg. cephaloth. $11^1/_2$, lat. ej. $9^1/_2$ millim.; lat. clypei $4^1/_2$ millim. Ped. I 40, II 41, III $38^1/_2$, IV $41^1/_2$ millim. longi. Lg. abd. $16^1/_2$, lat. ej. 11 millim. Sulcus unguicularis mandibularum postice 3 dentibus est armatus.

Exemplum singulum femineum a Sjöstedt in Camerum est captum.

[1] Conf. ejus H. N. d. Araignées, 2de Ed., II, p. 284 et 294.

105. **Th. albo-cinctus** (Dol.) 1859 (= *Th. marginellus* Sim.?)

Femina adulta, quam hujus speciei, antea multis locis Asiæ et Africæ[1] inventæ, credo, a Cel. Sjöstedt ad Bonge (Camerun) reperta est.

Gen. **Cladycnis**, Sim.?

106. **C. (?) augusta**, n., cephalothorace luteo-testaceo, pube luteo-testacea minus densa ad magnam partem tecto, lateribus limbo lato e pube albicanti formato, et utrinque antice usque in clypeum fuscum pertinente cinctis, medio partis thoracicæ cuneo nigro-fusco posteriora versus angustato et sulcum medium ordinarium continente notato; area inter oculos medios fusca saltem ad partem pube rubra vestita est; mandibulis nigro-fuscis; pedibus longis, gracilibus, testaceo- vel rufescenti-fuscis, aculeis longis rufo-fuscis armatis; abdomine longo, angusto, in dorso pube minus densa lutea vestito, ventre pallido, pube sub-lutea tecto, utroque latere abdominis fascia longitudinali longa rufescenti-fusca occupato; vulva fusca, sub-transversa, præsertim versus latera nigricante, antice et in lateribus late rotundata, in medio postice paullo emarginata; mamillis fuscis. — ♀ *ad.* Lg. corp. 13 millim.

Lg. cephaloth. circa 6, lat. ej. 5; lat. clyp. pæne 3 millim.; lg. abd. 7½, lat. ej. 3 millim. Ped. I 30, II 29, III 27, IV 32½ millim. longi. Sulcus unguicularis mandibularum postice 4 dentibus est armatus. Series oculorum antica modice recurva est, medii antici lateralibus anticis parvis saltem duplo majores et evidenter longius inter se quam ab iis remoti; area oculorum mediorum paullo longior quam latior postice et evidenter latior postice quam antice; oculi medii postici evidenter majores quam medii antici.

A typo generis *Cladycnis* (*C.* (*Dolomedes*) *insigni* Luc.) area oculorum mediorum non multo (sed modo paullo) longiore quam latiore differt hæc species, quæ præterea cum *Cladycni* optime convenire videtur.

Feminam adultam singulam vidi, a Sjöstedt in Camerun inventam.

[1] Conf. Simon. H. N. d. Araignées. Ed. 2de, II, p. 300.

Gen. **Charminus,**[1] n.

Cephalothorax oblongus, antice angustatus, parte thoracica utrinque modice rotundata, clypeo ea multo angustiore et area oculorum mediorum parum humiliore, directo; area oculorum paullo latiore postice quam longiore, area mediorum declivi.

Series duæ oculorum sat leviter recurvæ, series antica postica brevior; oculi seriei posticæ et medii antici mediocres, fere æquales, laterales antici iis non parum minores; oculi duo medii postici seriem transversam, serie oculorum anticorum non parum breviorem formant; laterales antici spatio paullo majore a lateralibus posticis quam a mediis anticis remoti sunt. Area oculorum mediorum pæne quadrata est, parum longior quam latior postice et vix latior postice quam antice.

Mandibulæ in margine postico sulci unguicularis aut modo 3 dentibus, aut dentibus 4 armatæ sunt. Abdomen longius et angustius; mamillis apicalibus, brevissimis.

Typus: *Ch. Camerunensis*, n.

Quum non mihi satis constat, si generi jam cognito familiæ *Pisauridarum* Sim., quarum hæc aranea haud dubie est, eam adscribere debeo, novum genus ad eam recipiendam feci; in exemplis paucis, quæ hujus speciei vidi, sulcus unguicularis mandibularum aut 3, aut 4 (4:o, basi unguis mandibulæ proximo, reliquis plerumque paullo minore) dentibus armatus est!

107. **Ch. Camerunensis,** n., cephalothorace sub-luteo, pube tenui flaventi limbum sat latum ejusdem coloris in lateribus formante cincto; sterno et mandibulis sub-luteis, his plus duplo longioribus quam latioribus, pube tenui testacea vestitis; pedibus sat gracilibus, longis (præsertim pedibus anterioribus), sub-luteis, aculeis longis nigris armatis; abdomine longiore, posteriora versus angustato, pallide testaceo, pube tenui testacea vel sub-aurea vestito, dorso ejus tamen obscuriore, fusco-testaceo; palpis longis, colore pedum, parte femorali cylindrata partes tibialem et tarsalem conjunctas longitudine circiter

[1] *Χαρῖνος*, nom. propr. hist.

æquante, parte patellari vix duplo longiore quam latiore, parte tibiali cylindrata paullo plus duplo longiore quam latiore, et apice extus calcare deorsum curvato, apice partis tibialis saltem duplo longiore, fusco armata; parte tarsali longitudine fere partis tibialis, basi sat lata et sub-globosa et dein in apicem rectum sensim angustatum et supra flavo-pubescentem excurrente; bulbo genitali complicato et saltem ex tribus partibus composito, duabus mediis fuscis et plus minus hamatis, parte tertia longa et pallida, lata et sub-tortuosa et stilo (flagello) longo fusco quasi marginata. — ♂ *ad.* Long. corp. circa 10 millim.

Lg. cephaloth. $4^1/_2$, lat. ej. $3^1/_3$, lat. clyp. 2 millim.; lg. abd. paullo plus 6, lat. ej. $2^1/_2$ millim. Ped. I 27, II 28, III 19, IV 23 millim. longi.

Mares paucos ad Kitta, cet., (Camerun) a Sjöstedt collectos inspexi. Femina adulta, quam singulam vidi, vulvam magnam, paullo transversam et profundissimam habet.

Gen. **Hippasa**, Sim.

108. **H. albo-punctata**, n., cephalothorace nigro, fascia media longitudinali inæquali e pube cinerascenti-alba formata, summo margine laterali albicanti-pubescente quoque; mandibulis plus duplo longioribus quam latioribus, pæne cylindratis, nigris, sub-cinereo-pubescentibus, ungue nigro; sterno testaceo, fascia media longitudinali nigra; pedibus fusco-testaceis, plus minus cinerascenti- et nigro-maculatis, pilis longis, nigris densius conspersis et aculeis nigris armatis; abdomine nigricanti, in dorso pube rufescenti-fusca vestito et serie duplici longitudinali macularum parvarum e pube alba formatarum ornato, ventre pube cinerascenti vestito; vulva pube longiore retro directa rufescenti tecta; mamillis nigris. — ♀ ad. Long. corp. $10^1/_2$ millim.

Lg. cephaloth. $5^1/_4$, lat. ej. $3^1/_4$; lat. clypei 2 millim.; lg. abd. paullo plus 6, lat. ej. $4^3/_4$ millim. Ped. I et II 16, III $15^3/_4$, IV 21 millim longi. Sulcus unguicularis mandibularum postice 3 dentibus est armatus.

Mas et femina adulti (cum femina juniore) a Sjöstedt in Camerun inventi sunt.

Gen. **Ocyale,** Sav., 1823?

109. **O. Atalanta** Sav., 1823 (?) Descr. sommaire des Arachnides d'Egypte, etc., Pl. IV, fig. 10 (Conf. Simon, Ann. de la Soc. Ent. de Fance, 1885, p. 357).

Mares et feminæ pauci adulti in Camerun a Sjöstedt collecti sunt.

Gen. **Lycosa** (1804), Latr., Sund., etc.

110. **L. furva,** n., cephalothorace testaceo-fusco, fascia media longitudinali pallida usque ad oculos medios posticos procurrente, aliaque fascia pallida supra-marginali utrinque notato, supra antice, inter oculos posticos paullo proclivi; mandibulis fortibus, femoribus anticis non parum crassioribus, pæne duplo longioribus quam latioribus, rufescenti-fuscis, pube tenui obscura pilisque nigris sparsis; pedibus brevioribus, testaceo-fuscis, aculeis brevioribus nigris conspersis; abdomine formâ ordinariâ, sub-olivaceo-fusco, fascia media longitudinali angusta testacea anterius in dorso ornato, quæ anguste et minus evidenter nigricanti-marginata est, ventre pube pallide sub-olivacea vestito; vulva ex impressione sat parva subtransversa constante, quæ utrinque costa tenui fusca anterius incurva limitata est, postice vero costa transversa utrinque tuberculum parvum fuscum formante; mamillis sordide testaceis. — ♀ ad. Long. 9½ millim.

Series oculorum antica recta est, serie oculorum 2:a vix brevior; oculi medii seriei anticæ lateralibus anticis non parum majores, clypei altitudinem diametro sua æquantes. Sulcus unguicularis mandibularum postice 3 dentibus æqualibus armatus est. — Lg. cephaloth. 4, lat. ej. 2¾, lat. clyp. 2 millim.; lg. abd. 5¾, lat. ej. 2⅔. Ped. I 10½, II 9½, III 9½, IV 12½ millim. longi.

Cel. Sjöstedt duo exempla feminea adulta hujus speciei, quæ *L. ruricolæ* De Geer sat similis, sed multo minor est, in Camerun invenit. *Mas adultus*, quem ejusdem speciei credo, quum plane eodem colore ac femina sit, modo paullo gracilior, ibidem ab eodem inventus fuit.

111. **L. sordulenta,** n., cephalothorace nigro, pube tenui nigricante sat dense sparso, fascia media longitudinali sat

lata antice e pube lutea, postice e bube sub-cinerea formata ornato, summo margine laterali quoque pube cinerascente tecto; sterno fusco, mandibulis nigris, pube brevi cinerea et pilis longioribus nigris sparsis; pedibus (vel saltem femoribus) piceis, pube sub-olivacea ad partem tectis et aculeis nigris armatis, tarsis testaceis et metatarsis quoque sub-testaceis; abdomine nigro-fusco (supra in nostro exemplo ad maximam partem detrito) subter pube sub-fusco-testacea tecto; vulva ex area sat magna cornea paullo longiore quam latiore, postice truncata constante, quæ costas duas antice incurvas et cum costa media unitas formant, costâ mediâ postice in formam litteræ ⊥ dilatata; mamillis sub-testaceis. — ♀ *ad.* Long. corporis 6½ millim.

Linea oculorum antica leviter procurva est et lineam oculorum 2:æ serici longitudine pæne æquat; medii antici lateralibus anticis non parum majores sunt, clypeo eorum diametrum altitudine æquante; oculi 2:æ serici diametro sua non parum majores sunt et spatio hac diametro paullo majore separati; oculi 3:æ serici minores et spatio diametro sua fere 4:plo majore separati. — Lg. cephaloth. 4, lat. ej. 3½, lat. clyp. 2 millim.; lg. abd. 3⅓, lat. ej. 2¾ millim. Ped. I 11, II 12, III 12½, IV 15⅓ millim. longi.

Femina singula adulta a Sjöstedt ad Kitta (Camerun) est inventa. — Gen. *Leimonia* C. L. Koch hæc species videtur, etsi labium paullo longius quam latius et dimidiam longitudinem maxillarum æquans habeat.

Gen. **Pardosa** (C. L. Koch) 1848.

112. **P. tenera**, n., cephalothorace fascia media longitudinali antice totam aream inter oculos posticos occupante, posteriora versus sensim modice angustata, testaceo-fusca et pube cinerascenti tecta notato, lateribus cephalothoracis nigricantibus versus marginem lateralem serie longitudinali macularum e pube cinerascenti formatarum, et superius serie alia ejusmodi sed breviore et minus distincta notatis, ipso margine laterali nigro, facie tota pube testaceo-cinerea vestita; labio latiore quam longiore, maxillis plus duplo longioribus quam latioribus, mandibulis nigro-fuscis, sterno et coxis pallidis, sub-testaceis; pedibus præterea testaceis, sat dense nigro-annulatis, tarsis totis testaceis; abdominis dorso in fundo nigri-

cante, pube densa cinerascente vestito et paullo variato, lateribus abdominis magis nigricantibus, ventre pube pallida tecto. Vulva ex tuberculis duobus inæqualibus fuscis formata videtur. — ♀ *ad.* Long. corporis paullo plus 5 millim.

Lg. cephaloth. 3, lat. ej. c:a $2^1/_4$, lat. clyp. circa $1^1/_4$ millim., lg. abd. $2^1/_2$, lat. ej. fere 2 millim. Ped. I $8^1/_2$? II $9^1/_2$, III $9^1/_2$, IV 12 millim. longi. Sulcus unguicularis mandibularum postice 3 dentibus sat parvis instructus est.

113. **P. manicata,** n., cephalothorace nigro, tascia longitudinali antice lata, posteriora versus sensim angustata et antice inter oculos medios posteriores continuata, e pube sat densa albo-cinerea formata ornato. Sternum cum coxis testaceum; pedes præterea ad maximam partem picei, tenuiter albo-pubescentes et aculeis nonnullis brevioribus nigris armati, tibiæ 1:i paris apice latissime albæ, modo basi piceæ, femora uno alterove annulo nigricante cincta, tarsi toti testacei. Mandibulæ piceæ, apice sub-testaceæ. Palpi piceo-testacei, parte tibiali levissime incrassata, paullo longiore quam latiore, et parte patellari vix longiore. Abdominis dorsum fascia longitudinali lata e pube albo-cinerascenti formata occupatum, hac fascia utrinque ad basin macula nigra limbata; ventre testaceo. — Lg. corp. circa 5 millim.

Lg. cephaloth. 3, lat. ej. 2, lat. clyp. c:a 1 millim.; lg. abd. pæne 2, lat. ej. paullo plus 1 millim. Ped. I—III circa 8, IV 9 millim. longi. Labium et maxillæ ut in specie priore est dictum. Sulcus unguicularis mandibularum postice 3 dentibus brevioribus est armatus.

Mas singulus a SJÖSTEDT in Camerun est inventus.

Fam. Oxyopidæ.

Gen. Oxyopes (LATR.) 1804.

114. **O. dorsualis,** n., cephalothorax in fundo anterius fuscus, posterius rufescenti-testaceus, pube alba (in nostro exemplo ad magnam partem detrita) tectus, quæ vittam mediam longitudinalem anterius latam, posterius angustatam format, versus latera utrinque posterius albo-pubescens quoque, fronte et genis late ferrugineo-pube-

scentibus; mandibulæ fuscæ, crasse sub-fusco- vel albicanti-pilosæ. Oculi ut in reliquis hujus generis formis dispositi. Sternum sub-testaceum et coxæ albicanti-squamulosæ sunt, pedes præterea fusci, basi paullo pallidiores, albicanti-pilosi vel -sub-squamulosi, femoribus saltem intus sive postice albo-squamulosis; versus apicem pedes paullo nigro-variati et nigro-annulati sunt; abdomen formâ in hoc genere solitâ, dorso fascia longitudinali lata, versus anum sensim angustata, pallide testacea et pilis densis albis tecta ornato, declivitate antica quoque late albo-pilosa, lateribus abdominis late rufescenti-fuscis, ventre fusco, sat dense albicanti-pubescenti. — ♀ *ad.* Lg. corp. 6 millim.

Lg. cephaloth. $3^1/_2$, lat. ej. pæne $2^1/_2$, lat. clyp. c:a $1^1/_3$; lg. abd. $3^1/_3$, lat. ej. 2 millim. Ped. I 11, II 9, III 7, IV paullo plus 7 millim. longi.

Femina singula a Clar. SJÖSTEDT in Camerun inventa est.

115. **O. aureolus,** n., ♂ *ad.* Cephalothorax rufus, maculis ocularibus nigris, et maculis duabus parvis sub oculis sitis nigris quoque; area oculorum cupreo-squamulosa, et area plus minus magna pone oculos squamulis parvis æneis vel cupreis vestita quoque. Mandibulæ rufo-testaceæ, linea media longitudinali nigra. Palpi nigerrimi, basi plus minus late testacei. Sternum pallide testaceum. Pedes pallide testacei, aculeis longis nigris armati, plus minus dense et subtiliter cupreo- vel æneo-squamulosi. Abdomen, posteriora versus acuminatum, subfuscum est, squamulis minutis aureis vestitum. — ♂ Lg. corp. $3^1/_2$ millim.

Lg. cephloth. paullo plus 2, lat. ej. $1^1/_2$, lat. clyp. c:a 1 millim.; lg. abd. $1^1/_2$, lat. ej. c:a 1 millim. Pedes circa 7 millim. longi. — Mas variat paullo major.

